62421/B

MEDICAL SOCIETY
OF LONDON

WELLCOME
HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

ACCESSION NUMBER

PRESS MARK

FANTONUS, J.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30539511

T8

# JO: BAPTISTÆ FANTONI
REGIÆ CELSITUDINIS
VICTORII AMEDEI II.
SABAUDIÆ DUCIS, &c.
*Medici, & Bibliothecarii*

# OBSERVATIONES
## ANATOMICO-MEDICÆ.

*Hac Tertiâ Editione recenſuit, Notis, & Obſervationibus illuſtravit, & auxit*

JOANNES FANTONUS FIL.
In Taurin. Univerſit. Anat. Profeſſor.

*Ad Ampliſſimum Virum*

D. JO: MARIAM LANCISIUM
CLEMENTIS XI. PONT. MAX.
*ARCHIATRUM, &c.*

Accedunt ejuſdem D. Lanciſii
*DISSERTATIONES II.*
Quarum Prior eſt De Phyſiognomiâ,
Poſterior De Sede Cogitantis Animæ.

VENETIIS, MDCCXIII.
Apud Andream Poleti.
*Superiorum Permiſſu, ac Privilegio.*

ONDON MEDIC SOCI

*Ampliſſimo Viro*

# D. JO: MARIÆ LANCISIO
## CLEM. XI. PONT. MAX.
## *ARCHIATRO*

## JOANNES FANTONUS S. P.

*EFflagitaſti, Vir Ampliſſime, ut Obſervationes Poſthumas Patris mei, quas duodecim ante annos evulgaveram, ad Te mitterem. Ego verò minimè dignum Eruditiſſimo, meique amantiſſimo Viro munuſculum fore putavi. Nam, etſi paterna litterarum monumenta amavi ſemper, & colui, hoc tamen ſolutum omninò, & informe erat Autographum memorabilium rerum: cui ego parùm ſciens operam adornando dederam, ſeu*

*textum exprimendo verbis meis, ſeu Scholia adjiciendo. Nimiâ interim paſſus ſum feſtinatione, ut incomptum, juvenilibuſque refertum nugis in publicum emitteretur.*

*Quamquam verò eximius Scriptor, Rerumque Medicarum Collector Mangetus ad calcem magni Operis * totum hunc conferre Libellum operæ-pretium putaverit, id facere pro ſuâ ſingulari comitate, tum etiam judicio potuit: tunc, inquam, maximè potuit, cùm Libellus noſter noviſſimè exiret in lucem; quandoquidem in paternis Obſervationibus ſeries non contemnenda utilium utcunque rerum occurrebat: tum libertas, & quaſi laus aliqua nugis poſſe meis permitti florente adoleſcentiâ videbatur. Sed poſtquàm paululùm maturuimus, & in hoc genere ſtudiorum lentè profecimus, incumbendum nobis aliquandò eſſe in Opuſculi hujus emendationem arbitrabamur. Quamobrem, ſi illud ipſum, Vir Doctiſſime, accepiſſes, injuriam facere eruditioni tuæ, tuoque erga me amori credidiſſem. Qui enim tam præſtanti eſt ingenio, tam acri judicio, tam excultus litteris, tantâque Rei Anatomicæ, & Medicæ peritiâ clarus, nihil probare omninò poteſt, niſi perpolitum, diligenterque ela-*

* Sepulchret. Anat. Edit. II.

*elaboratum, & jucundum ſimul, & utile fuerit. Hoc tua dum poſtulat eruditio; hoc ipſum præcipuè requirit amor, tantuſque amor, quantus ille in me tuus: ex quo jamdudùm intelligo, gloriæ Te meæ, penè dixerim, ut tuæ, cupidum eſſe. Sed quo rursùs animo eandem Tibi Lucubrationem exhibuiſſem, cujus ab aliquot annis copiam petentibus multis facere negabam? cùm neque eos ſimul omnes tanti facerem, neque amarer tantùm ab jis, quanti Te unum facio, quantùmque diligi à Te, ſcio.*

*Nunc autem efflagitatio tua effecit, ut ad hujus Opuſculi caſtigationem citiùs, quàm meditatus eram, ſtylum converterem. Ac mihi non verba ſolùm, ſed res ipſæ fuerunt corrigendæ, commutandæ, transferendæ; quin etiam viſum fuit, ut aliqua in Scholiis ad elucidandas Obſervationes, tum paululùm exornandas noviſſima adderentur; Quibus proinde excerpta quædam ex tuo præſertim De Subitaneis Mortibus Libro ſplendoris non parum ſunt allatura. Quanquam is ego minimè ſum, qui abſolutum, perfectumque laborem hunc eſſe meum, opiner; Mihi erit ſatis, ut, qui eundem Libellum viderunt, quaſi alterum videre putent: primoque Tibi aſpectu talis cenſeri queat, ut temerè miſ-*

*ſus*

*ſus nequaquam videatur. Noſtra in eo ſtudio (ſiquidem hoc dici à nobis poſſit) aliqua laus eſſet, ſi ad imitationem deligere Te potuiſſemus. Tu Hiſtoriæ exponendæ normam in eo ipſo, quod commendavimus, Opere, Tu egregium Commentariorum Specimen tradidiſti. Veruntamen huic ego muneri impar eram, multaque videbam ad enarrationem ſpectantia in paternis adverſariis deſiderari, quæ diſſerendi fundamentum præbere in Scholiis debuerunt. Præcipua curis diſtrictus, reliqua ſciens, Pater deſignaverat; Poteſt Author mente ſupplere, Interpres non poteſt. Itaque adhibere ſuper his, veluti ædificium ſuper tremulâ baſi extruendo, artis præcepta non potui. Utinam felicior in meo ſolo, aptiorque ſim conditor aliquandò futurus! Neque enim excidit mihi conſiliorum tuorum memoria, quibus benignè, ſapienterque dirigere me in conſcribendis Obſervationibus meis olim rogatus ſuſceperas. Ea ſæpè conſilia in mentem redeunt: eas identidem litteras lego: commoveri utilitate ſentio. Titillat me meus ille labor ſolutis neglectus in paginis, quas, cùm ego dimiſerim, cur nondùm recipio? Cogitatione hâc rapior, ſollicitorque, & me jamjam confero, unde diſceſſeram: Al-*

*licit*

*licit paterni me argumenti jucunda ſimilitudo. Veruntamen, ecce mihi properanti? quid?*

. . . . . Cynthius aurem
Vellit, & admonuit:

*Jubeor fugacem pedem referre: Satis ex promulgatâ Parte Operis Anatomici audio huic me otio dediſſe: Opus promiſſum diù, non infeliciter inchoatum, penitùs eſſe abſolvendum. Itaque vires colligamus: Tuque, Vir Ampliſſime, conſiliis jugiter tuis nos adjuvando, poteris id etiam, ut bono animo ſimus, efficere.*

*Cæterùm, Ornatiſſime Lanciſi, reviviſcere Patrem hìc ego meum, volui, quaſi ſuum erga Te cultum, ſuumque grati animi ſpecimen pro tuis in me meritis referentem: Volui, ut eo extincto id ipſum intelligas, quod candidâ voce vivus feciſſet. Vale.*

Auguſtæ Taurinorum Kal. Jun. MDCCXII.

# JOANNES FANTONUS
## Lectori ſalutem.

QUi ſtudiorum ſuorum evulgare Specimen quoddam juvenili ætate aggreditur, ità occupatum in ſui Operis gratiam ſolet animum habere, ut ab illuſtrium Scriptorum dignitate parùm ſe abeſſe, arbitretur. Hâc fretus fiduciâ tamdiu adoleſcens conquieſcit, donec meliores annos attigerit. Tum juvenilis inſcitiæ conſcius non ſinè quadam animi commotione cognitum exprobrare ſibi errorem cogitur, & palàm fateri. Cunctis equidem hominibus, qui ad Scriptorum famam contendunt, matura ætas expectanda eſſet: ſed laudis amor impatiens eſt, cui maximè adoleſcentia indulget; neque enim conſiliis, quæ moras jubent, libenter obtemperat.

Omninò perfectum Opus (quis autem hoc neſciat?) rariſſimum eſt. Multa, heu nimium! requiri videntur, ut omnibus ſit numeris, partibuſque expletum: Acumen ingenii, rerum cognitio, meditatio, ſtylus, exercitatio, nihil horum deeſſe oportet: ſed omnium caput eſt rectum ſcribentis judicium. Hinc jure damnari (quoniam ejuſmodi dotes perrarò ſociantur) Librorum multitudinem audimus. Poterit reverà in qualibet facultate Studioſus bis tertiâ Voluminum parte deſtitutus non ſinè ullo tantùm detrimento, ſed inſigni potiùs commodo proficere. Ut ab optimâ, & con-

ſtanti lectione debent ingenia rectè dirigi, atque erudiri : ſic facilè poſſunt à pravâ, diverſâque perturbari, atque corrumpi. Ac multi profectò inconſulti Juvenes ineptis, atque vagis inhærendo Commentariis peſſimè ætatem ſtudiis ſelectioribus aptiſſimam traducere conſueverunt.

Sibi igitur egregiè conſuluerit Scriptor, remque mirificè utilem ſciendi cupidis fecerit, ſi lentè ad docendum maturâ ætate feſtinaverit : nec Libros anteà ſuos dimiſerit, quàm maturuiſſe ſatis, & à doctis viris probari, cognoverit; quandoquidem difficillimum quoque eſt, ut eruditus quiſquam, & annis provectior, quem primò Librum nititur in lucem proferre, omnem ex eo laudem apud æquiſſimos Judices conſequatur. Ea quippe humanæ mentis conditio, eaque Scriptorum ſors eſt, ut non omnia ſententiarum, verborumque vitia, quæ ſcribendo irrepſerunt, diligenti quanquam adhibitâ lectione, omnia, inquam, ſimul intueri poſſit, ſed alia citiùs, alia ſeriùs offendat; Idque accidere non raro, ſcimus, ut ſtatim aliqua perſpiciat Lector; quæ diu Authorem latuerunt. De eximiis Pictoribus nota res eſt, qui mirâ tarditate Tabulas ſuas complent, ac ſæpè repugnantes dimittunt; vel enim maculas identidem agnoſcunt, vel ignotas aliquandò detegere, atque emendare ſperant. Neque aliter prudentiſſimis Scriptoribus uſitatum eſt, qui ad Lucubrationes ſuas vix revertuntur, quin corrigendum aliquid, immutandumque animadvertant. Quare præceptum illud ſapientiſſimum nunquam non proderit in memoriam revocare : Opuſcula eſſe non eâ tantùm ratione ſuſcipienda, quòd magnis ſoleat Operibus otium, vel ætas deeſſe : quòdque in magnis potiſſimùm mens ad errandum prona ſit : ſed quòd centies perluſtrare, & Commentariolos expendere priùs, quàm exeant in lucem,

cem,

cem, commodè liceat: tum editos ſemel, iterùmque novâ ſedulitate, noviſque conſiliis reficere. Ac ea quidem ſors optima Librorum cenſeri debet, ut diu ſuperſtites habeant Authores ſuos.

Hæc tecum præfari, Benevole Lector, initio ſtatui, ut præter ea, quæ in ſuperiori ad Ampliſſimum Lanciſium Epiſtolâ de hujus Libelli ratione indicavi, quæ de eodem mea ſit opinio, apertiùs intelligas. Quanquam enim Editionem hanc, quam tertiam appellavi (nam altera me inſcio promulgata eſt) longè præſtantiorem eſſe, putaverim, in eâ tamen ſententiâ fui, & nunc repeto, tam meis animadverſionibus, quàm alienis Opuſculum hoc caſtigari, ac perfici, quantum ejus conditio tulerit, ulteriùs poſſe. Ergò, inquies, tantum laboris, operæque ſeu corrigendus Libellulus, ſeu ornandus poſtulaverit? Ità ſanè: nam de Libris idem ferè videtur, quod de ædificiis, dicendum: quæ, cùm malè ſint conſtituta, inordinata, vacillantia, arduum magis, & operoſum eſt penitùs inſtaurare, & in concinnum ordinem redigere, quàm nova architectari, atque uno, rectoque ordine ſervato ad finem perducere. Nulla porrò tam exigua eſſe videtur Opella, quæ ad Artis regulas exigi cùm ad legentium utilitatem, tum ad ſcribentis qualemcumque gloriam magno ſtudio non debeat. Hæc, inquam, ut ſcires, optavi, atque ad ea conficienda, quæ pollicitus ſum, quæque jam prodierunt, recenſenda, pari me animo, ac labore contendere. Vale.

# NOI REFORMATORI
## Dello Studio di Padova.

HAvendo veduto per la Fede di reviſione, & approbatione del P. F. Tomaſo Maria Gennari Inquiſitore, nel Libro intitolato: *Joannis Baptiſtæ Fantoni, Regiæ Celſitudinis Victorii Amedei II. Sabaudiæ Ducis, &c. Medici, & Bibliothecarii Obſervationes Anatomico-Medicæ*, non v'eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Atteſtato del Segretario noſtro, niente contro Prencipi, e buoni coſtumi, concedemo Licenza ad Andrea Poletti Stampatore, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl'ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Publiche Librarie di Venetia, & di Padova.

Dat. 6. Aprile 1713.

{
{ Marin Zorzi Reform.
{ Gio: Franceſco Moroſini Kav. Refor.

*Agoſtino Gadaldini Segret.*

IN-

# INDEX OBSERVATIONUM.


OBSERVATIO I.

*ANeuryſma Arteriæ magnæ paulò ſupra iliacas. Polypi infra locum Aneuryſmatis. Sanguinis intrà tunicas Meſenterii, & circa Renes effuſio.* pag. 1

OBSERVATIO II.

*Tumor ſarcomatoſus intrà tunicas inteſtini Coli.* pag. 7

OBSERVATIO III.

*Cerebrum flavo humore tinctum. Vaſa ejus exſiccata. Aqueus oculorum humor conſumptus.* pag. 9

OBSERVATIO IV.

*Inflammatio Inteſtinorum, Hepatis, & Pulmonis. Aqua Pericardii purulenta. Cordis ſuperficies alterata.* pag. 12

OBSERVATIO V.

*Moles Hepatis maxima. Ventriculus in regione umbilicali. Cor inſolitæ magnitudinis.* pag. 14

OBSERVATIO VI.

*Cranium craſſiſſimum cum ſuturis vix apparentibus. Aridiſſimæ Meninges. Nihil humoris in ventriculis Cerebri. Medulla oblongata bilioſo ſero tincta.* pag. 16

OBSERVATIO VII.

*Pulmo inflammatus. Cor magnum, variegatum, duriſſimum.* pag. 19

OBSERVATIO VIII.

*Pancreas duriſſimum. Liquor multus in canali Wirſungiano. Capſulæ atrabilariæ maximæ, & alteratæ. Cor magnum, & planum.* pag. 23

OBSERVATIO IX.

*Inflammatio Meningum. Cerebelli corruptio.* pag. 26


OB-

OBSERVATIO X.

*Inſolita magnitudo Cæci Inteſtini. Fibroſus Tumor intrà tunicas Cæci, & Coli, earumque corruptio. Colon ſinè cellulis.* pag. 27

OBSERVATIO XI.

*Cutis, & Inteſtina bile tincta. Hepatis, & Diaphragmatis inflammatio. Lien monſtroſus. Flaccidi Cerebri Icterus.* pag. 31

OBSERVATIO XII.

*Veſicula Bilis maximæ magnitudinis cum cyſtico meatu obſtructo. Denſus, ac durus Pulmo. Hydatides in ſuperficie Cordis.* pag. 34

OBSERVATIO XIII.

*Muſculorum Abdominis ad dextrum Hypochondrium extenuatio. Magnum Hepar, & ſteatomatoſum.* pag. 37

OBSERVATIO XIV.

*Tumor cartilagineus in Pyloro, & ſuperiore parte Duodeni.* pag. 39

OBSERVATIO XV.

*Pulmo carnoſus. Multum aquæ in Pericardio. Hydatis in ſuperficie Cordis ulceroſa.* pag. 41

OBSERVATIO XVI.

*Pulmonis Abſceſſus. Pus in Pericardio. Cor exteriùs corruptum.* pag. 44

OBSERVATIO XVII.

*Cor vulneratum.* pag. 46

OBSERVATIO XVIII.

*Colon in hypogaſtrium devolutum. Biliaris veſiculæ magnitudo.* pag. 50

OBSERVATIO XIX.

*Dexter Cordis ventriculus grandior. Ingens in illo Polypus.* pag. 52

OBSERVATIO XX.

*Meſenterium ad ſpinam retractum. Bilis inſtar liquidæ*

picis

picis in Cyſtide. Vaſa Cerebri turgida. Subſtantia medullaris, Medullaque Oblongata duriſſima. pag. 55

OBSERVATIO XXI.

Magnum Hepar. Tumor in parte gibbâ. Cyſtis fellea inanis. pag. 58

OBSERVATIO XXII.

Parvus Pulmo. Siccum Pericardium Cordi contiguum. Cor maximum plurimis ulcuſculis in ambitu ſuo alteratum. pag. 61

OBSERVATIO XXIII.

Diaphragmatis diſruptio. Ventriculi in Thoracem aſcenſus. pag. 64

OBSERVATIO XXIV.

Moles Hepatis maxima. Cyſtis ampla, & turgida. Ventriculus in Regione umbilicali. Lien valdè puſillus. p. 67

OBSERVATIO XXV.

Corticis Cerebri turgidiſſima vaſa. Copia lymphæ in ventriculis. Portio Cerebri ſupra nervos opticos corrupta. p. 69

OBSERVATIO XXVI.

Fungoſa Cerebri excreſcentia. pag. 71

OBSERVATIO XXVII.

Pulmo inflammatus. Conſiſtentia ejus ſimilis hepaticæ. Ingens Jecoris, & Lienis moles. Polypi in Ventriculis Cordis. pag. 74

OBSERVATIO XXVIII.

Cor ex diſrupto Abſceſſu eroſum. Aqua Pericardii limpida. pag. 76

OBSERVATIO XXIX.

Magnum Hepar, ac ferè ſcirrhoſum. Parvulus Lien. Hujus durities, ſimulque Pancreatis. Serum in cavitate Thoracis. Multiplex Pulmonis vitium. Cordis, valvularum, vaſorumque magnitudo. pag. 78

OBSERVATIO XXX.

Aqua in Abdominis, & Pectoris cavitate. Magnum Hepar,

*par, & albicans. Hymenis exiſtentia. Polypi in dextrâ Cordis auriculâ varicosâ.* pag. 84

OBSERVATIO XXXI.

*Hepar inflammatum, & in cavâ parte corruptum. Abſceſſus in Pericardio cum purulenti copiâ ſeri in cavitate ejus. Cor alteratum.* pag. 87

OBSERVATIO XXXII.

*Diaphragmatis, & Jecoris vulnus. Copia incorrupti ſanguinis in cavitate Abdominis. Bilis in Cyſtide nulla.* pag. 93

OBSERVATIO XXXIII.

*Pericardii, & Cordis vulnus. Multum puris in Pericardio.* pag. 95

OBSERVATIO XXXIV.

*Inſolita Cordis magnitudo. Pulmonis, & Lienis ſubſtantia inſtar liquaminis ſoluta. Cranii craſſitudo cum inconſpicuis ferè ſuturis. Pia mater duræ matri ſimilis.* pag. 97

OBSERVATIO XXXV.

*Cerebri vulnus. Nullus in eo ſanguis effuſus.* pag. 101

OBSERVATIO XXXVI.

*Serum in Thoracis, & Abdominis cavitate purulentum. Inteſtinorum ſuperficies eroſa.* pag. 104

OBSERVATIO XXXVII.

*Aqua in infimo, medioque Ventre. Magni Lienis involucrum amplioribus poris refertum. Cor copioſæ innatans lymphæ, in ſuperficie molliuſculum, cum albicantibus maculis, &c.* pag. 106

OB-

# OBSERVATIONES ANATOMICO-MEDICÆ.

## OBSERVATIO I.

*Aneuryſma Arteriæ magnæ paulò ſupra iliacas. **Polypi** infra locum Aneuryſmatis. Sanguinis intrà tunicas Meſenterii, & circa Renes effuſio.*

I. VIr habitûs corporis carnoſi laborabat frequentibus animi deliquiis, & vagis ventris doloribus, cum febre continuâ, pulſu duro, urinis craſſis, paucis, turbidis, & genitalium partium dolore. Tandem ex præfocatione, & lipothymiâ, cum notabili totius corporis marcore interiit. *Hiſtoria.*

II. Repertum eſt in Cadavere magnæ Arteriæ amplum ſatis Aneuryſma paulò ſupra iliacas: & infra locum Aneuryſmatis, craſſiſſimi aderant polypi, qui ſanguinis fluxum versùs iliacas impediebant. Aderat etiam non modica cruoris intrà Meſenterii tunicas, & circa Renes effuſio. Viſcera omnia integerrima videbantur. *Ventris infimi inſpectio.*

## *SCHOLIUM.*

III. REperiuntur perſæpè polypi in ventriculis, & auriculis Cordis, qui ramoſas propagines in arterias, & venas emittunt. Nos *Polypoſæ vaſorum concretiones plerunque à corde propagantur.*

hujuſmodi productiones in jugularibus venis, nec non carotidibus, & aortâ, in pulmonicis vaſis, venâ cavâ, cruralibus etiam venis &c. invenimus. Sed non ità frequenter in canalibus deprehenduntur polypi, qui continuitatem non habeant cum polypis Cordis, ut obſervatum eſt in nobiliſſimo hujus Civitatis Filiolo, qui ex vehementi Epilepſiâ interiit; Polypus enim in ſinu Falcis ſuperiore inventus eſt, cùm nulla in Cordis ſinibus concretio appareret. Hìc nulla etiam polyporum Cordis mentio fit, ſed Arteriæ magnæ paulò ſupra iliacas.

*Polypus in ſinu falcis ſuperiore.*

*Rarior in magno canali arterioſo polypus.*

IV. Rarum primò illud videtur, quòd ſolitarius in canali arterioſo polypus efformetur, & in magno quidem canali, in quem ſanguis vehementer à Corde propellitur, in quo idem ſanguis à validâ canalis ipſius contractione urgetur iterùm, ejiciturque. Multa deſiderantur ad Ægrotantis Hiſtoriam, & accuratius Arteriæ, partiumque adjacentium examen in Cadavere pertinentia, quæ lucem aliquam explicandæ huic generationi polypoſæ eſſent allatura.

*Ex polypis in aortâ occaſio aneuryſmatis.*

V. Utcunque ſe res habuerit, patet, craſſiſſimos polypos in finiente Aortâ repertos obſtaculum fuiſſe ſanguini ad iliacas fluenti, qui proindè tum copiâ, & gravitate, tum impetu potiſſimùm à Corde accepto vim fecit pro ſuperando obſtaculo, cujus reſiſtentia major fuit, quàm vis contractilis arteriæ; hæc enim violenter diſtracta enormem paſſa eſt dilatationem, quæ magni Aneuryſmatis veram ſpeciem exhibuit.

VI. Impedito ſanguinis fluxu ad iliacas ratione obſtaculi canalem Arteriæ magnæ obſtruentis, non ſolùm ſequutum eſt Aneuryſma in ipſo canali

nali propè obſtaculum ; ſed ſanguis , qui fluere in iliacas debebat , in arteriâ magnâ retentus auxit copiam, & impetum liquidi nitentis in latera totius canalis. Et quemadmodùm liquidum ob majorem copiam, & impetum potuit memoratam Arteriæ magnæ dilatationem efficere, majori jure potuit copioſius, & cum impetu ruere in emiſſaria arteriarum ab Arteriâ magnâ derivantium, quæ ſunt ſupra locum obſtaculi. Igitur fluxit per arterias cœliacam, meſentericas, emulgentes, ſpermaticas major copia ſanguinis, majorique violentiâ, quàm fluere naturaliter debebat ; hinc effuſio ſequuta eſt intrà Meſenterii tunicas, circa Renes, ad Teſticulos &c. Atque ab eâ ſanè causâ infimi Ventris, & genitalium dolor partium pendebat, ut facillimè patet conſideranti.

*Ex polypis in aorta propè iliacas effuſio ſanguinis intrà meſenterii tunicas, circa renes, &c.*

VII. Ex eâdem ſimiliter causâ ortum fuiſſe deliquium animi, cenſerem; Quandoque enim Arteria magna omninò turgida impar erat excipiendo novo ſanguini in qualibet ſyſtole à Corde projecto, qui idcircò in ipſum Cor refluere, cumularique cogebatur; Copia verò ejus iterùm adaucta à ſuperveniente in diaſtole ſanguine, vel ingredi ſinus fruſtrà nitente, præfocationem, animique defectum, quo tandem miſer extinctus eſt, inducebat. Ex hiſce principiis reliquorum ſymptomatum plana eſt explicatio.

*Animi deliquium explicatur.*

VIII. Modò ſi Aneuryſmatis ratio habeatur, ſuccedaneum fuiſſe polypum, & Aneuryſmatis, ut ajunt, effectum nemo non facilè putaverit; cùm familiaris ſit polyporum, vel aliarum concretionum in magnis Aneuryſmatibus productio. Ità ſolitarii generatio polypi minùs foret conceptu difficilis, poſtquàm Aneuryſma præceſſiſſet.

*Concretiones in magnis aneuryſmatibus familiares.*

Nos autem ab hac plurimùm ſententiâ removet tam polypi ſitus, atque conditio, quàm origo ſymptomatum. Craſſiſſimas nempe concretiones adnotat Hiſtoria non ad latera Aneuryſmatis cohærentes, ut iis ſolent cohærere, ſed infra locum ipſius in arterioſum canalem intruſas. Initium quoque Ægritudinis patefactum eſt iis ipſis ſymptomatibus, quæ maxima erant indicia polyporum, ut Hiſtoriam perlegentes intelligent.

IX. Cæterùm abs re minimè erit Concretionum generationem hìc breviter in Aneuryſmatibus inquirere, communemque Aneuryſmatum originem aperire. Ac primò arterioſus canalis in aliquâ ſuæ longitudinis parte inſigniter expanſus fluminis alveo poterit haud ineptè comparari, qui certo in loco ripas ab invicem habeat remotiores; Sicuti enim fluminis, ità cruoris undæ in eo ampliore ſpatio minùs rapidè feruntur; ſaltem poteſt ſanguis velocitate non minimâ ampliati canalis axim percurrere: ſed ad latera ejus, præſertim ſi enormis ſit amplitudo, debet proportionaliter liquidi celeritas minui. Præthereà ſi latioris cavitatis inæqualis fuerit ſuperficies, aut aſpera tantùm, aut cavernulis intercepta, magis adhuc infringi fluxum liquoris oportet. Quarè ut in latiore fluvii alveo quod priùs ſolutum erat in aquis, & fluxile, cumulatur faciliùs in unum, & ſubſidet: ità in Aneuryſmate colligi, coacervarique ramenta ſanguinis glutinoſa poſſunt, & concretionem efficere.

*Arterioſus canalis flumini comparatur.*

X. Arridet ſecundo loco Aneuryſmatis folliculum Cordi comparare; ejuſmodi enim Aneuryſmata occurrunt, in quibus arietatio quædam, & notabilis palpitatio percipitur. Cordi, inquam, inter

*Aneuryſma cordi comparatur.*

inter immiſſarium carnoſæ & contractilis venæ, atque emiſſarium arterioſum collocato Aneuryſma comparetur. Et quoniam receptus ab immiſſario ſanguis ſi liberè non remittatur à Corde ad emiſſarium, fieri ſolet, ut ex retento cruore efformentur in Corde ipſo polypi: ſic in Aneuryſmate, niſi expeditus in reliquum canalem arterioſum aditus pateat, concretiones pariter efformari debebunt: eòque faciliùs, quò vis præli, in Corde maxima, ac propè incredibilis, minima eſt in Aneuryſmate: tantæque in eo ipſo deſunt multiplicatæ vires lacertorum, à quibus concutitur, exagitaturque in Cordis ventriculis ſanguis, ejuſdemque concretio impeditur. Veruntamen non ſolùm imbecilla eſt in Aneuryſmate vis arteriæ contractilis, ſed interdùm abolita, factis alicubi cartilagineis magnorum præſertim Aneuryſmatum tunicis, atque calloſis. Quamobrem ſanguinis portio ad contactum veniens parietum, iiſdemque cohærens, neque repulſa à contractione tunicarum, ad concretiones gignendas aptiſſima eſſe videtur. Laudata in iis ſobrietas, qui hoc morbo laborant, ne auctâ humorum copiâ, & Cordis energiâ major arteriæ ſequatur expanſio, eò laudabilior eſt, quò minori datâ ſanguinis quantitate liberior à cavitate Aneuryſmatis aditus in arterioſum canalem patet; ſic prolixior ibidem mora concreſcibilis liquidi prohibetur, quominùs ad latera Aneuryſmatis cohærere, polypumque efficere poſſit.

*Quomodò in aneuryſmate polypi generentur.*

*Quamobrem in iis, qui aneuryſmate laborant, utilis ſit ſobrietas.*

XI. Quod verò ſpectat ad originem Aneuryſmatum Medicis nondum ſatis cognitam (de iis enim loquimur, quæ vera ſunt, & ab internâ causâ proficiſcuntur) nihil nobis præſtò eſt, quod

in

in medium proferamus, præter illud ipſum, quod indicavit Eruditiſſimus in ſuo De Subitaneis Mortibus Libro Obſerv. Phyſico-Anat. V. in Schol. §. 2. Lanciſius; Animadvertit enim ex aneuryſmatico perpetim folliculo ſubtilem, acremque ſaniem emitti, à quâ proritatio tunicarum fit, hinc eroſio, tandem diloricatio, quam folliculi enormis interdùm dilatatio ſubſequitur. Atque id maximè in Aneuryſmatibus, quæ circa Præcordia contingunt, adnotavit. Præcedunt autem plurima, alia ſuccedunt, de quibus loquentem ipſum audiamus: *Id verò*, inquit, *crebra experientia nos edocuit, Aneuryſmata Præcordiorum apud Ægros, erodentibus ichoribus refertos, plerunque incipere ab univerſali quadam ſpaſmodicâ arteriarum affectione, quæ poſtremò in Corde, aut ſummis vaſis determinatur. Quo fit, ut primùm de vagâ, atque huc illuc per collum, & artus errante arteriarum palpitatione conquerantur. Deindè intrà Pectus malum ſiſtitur, ſæpè tuſſis urget, Cor ſalit, & graviùs pulſat, mox ſepultus, ac brevì fugitivus corripit dolor, qui poſteà pertinaciùs hæret, & modò ad alteram ſcapulam, claviculamque, modò per brachium, quandoque uſque ad cubitum propagatur. Tandem profunda perſentitur pulſatio; elevantur alicubi coſtæ, aut ſternum; cæteraque ſuccreſcunt gravia, & prorsùs miſeranda atrocis hujus mali phænomena, quæ ut plurimùm ſubitâ morte finiuntur.*

*Communis origo aneuryſmatum ex ſententiâ D. Lanciſii.*

# OBSERVATIO II.

*Tumor ſarcomatoſus intrà tunicas inteſtini Coli.*

I. PUer ferè decennis, carnoſi habitûs, cœpit acerbo ventris dolore, & vehementi vomitu laborare. Lenitâ priùs alvo clyſteribus, nullo hinc ſolatio expurgatus eſt; nullique adjumento reliqua præſidia fuerunt. Obſervabamus infra ſiniſtrum hypochondrium oblongam eminentiam cum quadam duritie, quæ æmulari Lienis prolapſum videbatur. Puero febris ſupervenit, cùmque aſſiduus nec mitigari potuerit dolor, neque tumor diminui, extinctus eſt. *Hiſtoria.*

II. Aperto Cadavere benè omnia conſtabant, præter inteſtinum Colon in ſiniſtro latere, & ſub ventriculo tumidum valdè, & durum: cujus tunica exterior purulenta, & fracida ſecedebat, carnoſuſque apparebat tumor, fibroſus, & denſus, qui cavitatem Coli coarctabat. Tumoris longitudo latos quinque pollices ſuperabat. *Infimi ventris inſpectio.*

## SCHOLIUM.

III. EAs Corporis partes, quæ ex pluribus ſunt conſtitutæ membranis, peculiari quodam morbo affici, obſervamus; A ſe invicem contigua ſecedunt involucra admiſſis in ſpatia humoribus, qui, ſi fluxiles ſerventur, ex eorum poris ſenſim perſpirant, aut ſubeunt aliquandò radices venarum, repelluntur que vi contractilium fibrarum: vel etiam à compreſſione exteriùs factâ eorundem exceſſus adjuvatur. Si verò comprehenſa *Partium, quæ ex pluribus componuntur membranis, peculiaris morbus.*

tuni-

tunicis materies facta craſſior fuerit, ut ex ſero gelatina fit, tunc hærendo firmiùs pertinacem ægritudinem producit. Neque id rariſſimum eſt, ut gelatinoſum ſerum ex intimiori, longiorique cum ipſis membranis conſortio in unam ferè cartilagineam ſubſtantiam convertatur: cujus poſteà craſſitudo augeri ſic poteſt, ut quemadmodùm in inteſtinis accidere vidimus, gravia tandem ſymptomata, mortemque ipſam inferat.

*Cartilagineus tumor inteſtinalis.*

IV. Interdùm verò in canali inteſtinali materia tumorem efficiens ſeroſa non eſt, glutinoſa, tenax, & in cartilagineum quiddam mutabilis, ſed ſanguis ipſe eſt concreſcens in ſpeciem molis carneæ fibroſæ, quæ inter tunicas ità excreſcit, ut tunicæ ipſæ cum materiâ tumoris nequaquam conſocientur in unum, augeantur, indurenturque.

*Carnoſus.*

V. Primi generis Tumor longiori tempore utplurimùm ſinè febre, & ſinè magno dolore permanet; Hic autem ex carneâ mole & fibroſâ cùm dureſcat minùs, ſimulque mobiles ſerventur membranæ: & corruptibiles particulæ in tumore ipſo depravatæ abripiantur in circulo ſanguinis, earumque vitio ſanguis inficiatur, ideò gravior eſſe dolor ſolet, & febris excitari. In eodem hoc morbi genere adeſt non rarò, ut in caſu Pueri, corruptiva humiditas, quæ tunicarum compagem laxando, eas ad fraciditatem, corruptionemque diſponit.

*Tumoris ſpecies cum febri, altera ſine febri.*

VI. Colica hæc affectio fuit nullo genere remediorum profectò ſanabilis. Vomitûs ratio manifeſta eſt, cùm via ad alvum magnâ ex parte intercluſa eſſet. Febris autem poſtremò corripuit Puerum ex aſſiduo partim dolore, vigiliiſque,

*Colica inſanabilis.*

par-

partim ex infecto magìs magìſque ſanguine ab enarrato tumoris contagio : ſed potiſſimùm ex alteratione inteſtinalis tunicæ, quæ planè fracida reperta eſt, & in Cadavere purulenta.

# OBSERVATIO III.

*Cerebrum flavo humore tinctum. Vaſa ejus exſiccata. Aqueus oculorum humor conſumptus.*

I. VIr annos natus quadraginta quinque, temperamenti atrabilaris, gracilis, aridique habitûs, acutiſſimâ febri conflictabatur cum calore intenſiſſimo. Sanæ mentis erat; tamen amiſsâ voce, & ſenſibus debilitatis paucos intrà dies è vitâ migravit. *Hiſtoria.*

II. Remoto Cranio, infectum ſeſe obtulit flavo colore Cerebrum, cum ſanguineis vaſis ſupra Corticem exſiccatis, depletoque plexu choroidæo. In baſi verò juxta nervorum origines ſeroſus ſtagnabat humor magnâ ex parte in gelatinam converſus. Abſumptus liquor in oculis aqueus, & reliqui penè erant corrupti. *Capitis inſpectio.*

## *SCHOLIUM.*

III. HUmidi penuria, quæ perſæpè in Atrabilariis reperitur, cauſa eſſe ſolet plurium morborum frequenter lethalium ob graviſſima damna, quæ in animali œconomiâ ex ipsâ humidi privatione derivantur. In primis enim deficiente liquido aqueo, ſanguis non ſatis diluitur, craſſuſque fit, & grumoſus, nec liberè poteſt per canales ſuos fluere, neque impetum à *Ex humidi penuriâ fluidorum, & ſolidorum vitia.*

Corde communicatum ſervare, quia propter viſciditatem partes ejus mutuò cohærent, ac veluti colligantur adinſtar glutinis, ſibique invicem inſerviunt, ut totidem remoræ impetum reprimentes, cùm nequeant aliæ ſuper alias excurrere. Adhærent etiam canalibus ſuis, eos obſtruunt, & motum circulationis impediunt. Reliqui humores eadem patiuntur damna. Bilis craſſior evadit, & ſecerni difficilè valet, & ſecreta fluere; Lympha concreſcit, quia deficit baſis ejus, quæ liquidum aqueum eſt. Solidorum eadem eſt ratio. Areſcunt, & corrugantur canales, qui in blandâ mollitie ſervandi ſunt, ut conveniens præbeant ſpatium fluenti liquido, & diſtrahi opportunè valeant, & contrahi. Exſiccantur etiam membranæ, ac veluti criſpantur, quotieſcumque earum pori, interjectaque fibrillis ſpatia humido non irrigantur liquore, qui extenſiles efficiat, emolliat, & læviget. Dureſcunt cæteræ Corporis partes, niſi madefiant; Fibræ conſtringuntur, poroſitates anguſtantur, &c. Unde fluidorum motus, vegetatio, & functiones reliquæ perfici nequeunt. Denique Corpus maraſmo conficitur.

*Quando ſanguis ſero deſtitutus accenditur, quid ſequatur.*

IV. Quum igitur in Temperamento atrabilari ſanguis pauco ſero refertus accenditur, particulæ rubræ febrili motu agitatæ, aqueis moleculis non interceptis, invicem confricantur, & perfricant vaſa, parteſque omnes, quas ipſe cruor abluit; particulæ abraduntur, dividunturque in minima; & craſis ſanguinis ex illâ rudi abraſione, ac diviſione pervertitur; eâdemque de causâ concitatur intenſiſſimus calor, qui ob humidi penuriam mitigari non poteſt; & ipſe iterùm calor rubras ſan-

ſanguinis moleculas dividit, & alterat, & evaporationem ſuperſtitis humiditatis promovet: poſtque immanem efferveſcentiam accidunt ea omnia, quæ dicta ſunt de multiplici ſanguinis alteratione, & humorum omnium, & canalium, & membranarum, & univerſi Corporis.

V. Quoniam igitur bilis in caſu enarrato abundans, naturali craſſior erat, minor ejus quantitas ſecernebatur in organis ſuis, major ſanguini permiſta manebat, inordinatè afficiendo partes Corporis, quibus facilè poterat propter viſciditatem ex humidi defectu, quo ſolet dilui, adhærere, ſuiſque ſpiculis infigi, atque irretiri; hinc ratio flavedinis Cerebri manifeſta eſt. Similiterque patet cauſa exſiccatorum in Cortice vaſorum, concretionis lymphæ in baſi ejus, humoris oculorum aquei conſumptionis &c. Aphonia, ſenſuumque imbecillitas ab eâdem aritudine muſculorum, nervorum, membranarumque pariter petenda eſt; cui addi poteſt ſpirituum ſecretio in arido quoque Cerebro, craſſoque ex ſanguine difficillima, tum eorum ex vehementi trituratione ſanguinis reſolutio.

*Variorum ratio ſymptomatum indicatur.*

VI. Sed maximi eſt momenti in causâ tot malorum augendâ atrabilaris ipſa conſtitutio, dum ſanguis in acutam febrim accenditur. Interdùm mitior ex naturâ indoles bilioſi humoris cùm dato ſanguinis ingenti fervore plurimùm excandeſcat, magnaſque excitet turbas, quid de infensâ in naturali ſtatu qualitate ejus dicendum? Conſopitum in ſano homine quaſi virus manet, exeritque concitato tumultu vires ſuas. Porrò ſalinum quiddam, & auſterum ſæpè eſt in Corporibus atrabilariis, quod in ſero diffunditur; indè

*Atrabilaris conſtitutio ad morborum magnitudinem plurimùm confert.*

activa enervantur principia, figuntur humores, multiſque modis ſpiritus, & nervi offenduntur. In latice ſic vitiato dum fluctuat, & ardore corripitur cruor, quæ mala Ægrotanti non imminent? Penuriam ſeri culpavimus, ſed in qualitate vitium fuit, à quo præcipuorum ratio ſymptomatum peti, præter expoſitam ſiccitatem, clariſſimè poteſt.

VII. Ex his perſpicere cuiquam licet maximo in curatione hujuſmodi ægritudinum fore præſidio conſtantem aqueorum uſum remediorum, atque demulcentium, tum vividam ſanguinis craſim, fluxilemque conciliantium.

## OBSERVATIO IV.

*Inflammatio Inteſtinorum, Hepatis, & Pulmonis. Aqua Pericardii purulenta. Cordis ſuperficies alterata.*

*Hiſtoria.*

I. VIr robuſtus trigeſimum quintum agens annum, carnoſique habitûs, acutâ febri detinebatur cum difficillimo anhelitu. Accedebat tuſſicula, pauca primùm exſcreatio, ac ferè nulla: lateralis dolor, moleſtus in dorſo decubitus: parvus & celer, tamen æqualis pulſus. Initio Nonæ è vitâ exceſſit.

*Imi ventris, & medii inſpectio.*

II. Inteſtina omnia phlogoſi affecta apertum Cadaver exhibuit: Hepar tumidum, & in cavâ parte inflammatum: Pulmonem coſtis undique adhærentem, ſanguine & pure turgidum: Lympham Pericardii copioſiſſimam, & putridam, quæ Cordis ſuperficiem alteraverat: Denique polypoſas in Cordis ventriculis concretiones.

## SCHOLIUM.

III. QUoniam in hoc Ægrotante & copia aderat, & fervor, & lentor ſanguinis: ideò partes facillimè affici obſtructione, & inflammatione potuerunt. Sed quemadmodùm obſtructionis, & inflammationis periculum iis in partibus majus eſt, quæ copiam ſanguinis majorem recipiunt: ideò Pulmones & Hepar ejuſmodi affectiones corripuerunt. Inteſtina etiam vaſorum ſanguineorum maximus irrigat numerus, adeò ut vix poſſis Inteſtinis acum infigere, quin rubrum perfores canaliculum; unde etiam inflammationem haud difficilè patiuntur.

*Quæ partes obſtrui, inflammarique faciliùs poſſint.*

IV. Sed hæc, inquies, non inteſtinis dumtaxat, ſed multis ſunt partibus communia; Ergò alia eſt mechanica ratio, cur tumidi Hepatis inflammationem facilè ſequatur inflammatio Inteſtinorum. Quoniam enim dum Hepar tùmidum eſt, & in cavâ ſpeciatim parte inflammatum, ſanguis venæ portæ non liberè poteſt, & naturali velocitate in Hepate diffundi, & in Cavam effluere; ideò in venâ portæ lenteſcere debet; Et quia venæ inteſtinales, & meſentericæ ſunt propagines, aut diſperſæ potiùs radices venæ portæ; Igitur in his etiam venis lentè fluet ſanguis, & quandam in Inteſtinis moram faciet. Sed ab arteriis meſentericis continuò & velociter fertur ſanguis ad inteſtina; Itaque in inteſtinis congeritur copia cruoris ibidem moram facientis, qui cùm ſupponatur igneus, inflammationem producere aptus eſt.

*Cur hepatis inflammationi inflammatio inteſtinorum facilè ſuccedat.*

V. Difficilis anhelitus cum tuſſiculâ, nulloque ferè exſcreatu conjunctus, ſanguinem hìc quoque

*Reſpiratio difficilis à fervido, & tur-*

pro

*gente in pulmonibus ſanguine.* pro causâ habuiſſe videtur, qui ſervidus, & in vaſis turgens aereas veſiculas, & lævia premebat bronchia, ſenſimque inflammatoriam in Pulmone univerſo affectionem inducebat, ut dolor lateris, neque in dorſo facilis decubitus oſtendebant. Reverà ſanguine, & pure turgentem Pulmonem Cadaveris ſectio exhibuit. Inter hæc facta fuit ejuſdem ad pleuram adhæſio, fortè etiam ad Pericardium, interpoſito cruoris, ac potiſſimùm ſeri, & puris glutine. Hoc autem, facillimè alterato, trajectoque pericardio, lympham ejus potuit inficere, quæ Cordis ſuperficiei labem intulerat.

## OBSERVATIO V.

*Moles Hepatis maxima. Ventriculus in regione umbilicali. Cor inſolitæ magnitudinis.*

*Hiſtoria.* I. ILluſtriſſima Domina bilioſi temperamenti, poſteaquàm varios paſſa eſt affectus, febriles potiſſimùm inſultus, difficilem anhelitum, intolerabilem in dorſo, moleſtumque in ſiniſtro Corporis latere decubitum, enormem flatuum emiſſionem; tandem Hydrope extincta eſt, cum ventre tumido, œdematoſis cruribus, pedibus, dorſo. Notandum ſingulare ſymptoma, de quo Ægram conquerentem crebrò audiebamus: ſibi enim quaſi lingua alligari, & ad baſim retrahi videbatur.

*Infimi, mediique ventris inſpectio.* II. Cadaveris imperata fuit Sectio. Hepar debitam molem longè ſuperabat. Bilis in Cyſtide nulla. Ventriculus infra Jecur depreſſus erat, ſitus in umbilicali regione. Pancreas penè ſcirrhoſum.

ſum. Omentum ferè conſumptum, ſuperiùſque retractum. Pars ſiniſtra Thoracis repleta erat ſero, ibique Lienis colorem, conſiſtentiamque Pulmo referebat; Dextra pars nihil continebat lymphæ, ſed turgidus obſervabatur Pulmo, imbutus ſero. Inſolitæ Cor magnitudinis dextrum Thoracis latus cum Pulmone penitùs occupabat. Exiguum dexter ventriculus habebat polypum.

## SCHOLIUM.

III. Quando moles Hepatis plurimùm eſt adaucta, minùs ſanè mirum eſt, quòd in decliviore ſitu ventriculus reperiatur; Hepar enim magnitudine, & pondere ſuo ventriculum deprimit: quod infrequens minimè eſt, quanquam non ſatis obſervatum; Sed adeò depreſſus in hoc caſu erat, ut ſimul Œſophagus trahi, & cum renitentiâ in longum produci debuerit; hinc ad fauces, ubi pharynx eſt, tractionis ſenſus excitabatur, qui Illuſtriſſimæ Patienti ſuadebat quaſi linguam ad baſim alligari, atque retrahi.

*Ex magnitudine Jecoris ventriculi ſitus declivior.*

*Senſus tractionis ad fauces explicatur.*

IV. Sed duplicem ventriculi ſtatum magno exiſtente Jecore conſiderari oportet; vel enim turgidus plerunque eſt flatu, aut liquidis alimentis, aut ſolidis in eo contentis; vel pauco cibo aſſumpto, frequenter inanis eſt, & flaccidus. In hoc ſtatu anguſtius ſpatium ventriculo ſatis eſt, qui locum amplo Jecori concedit liberrimum, neque ab hujus mole, & pondere ſenſibiliter deprimitur. In altero autem caſu cùm magna Hepatis & concava moles habeat quod latè complectatur, ventriculum nempè tanquam ſolidum quiddam, & mobile, niſum, preſſionemque in eum

*In quo ventriculi ſtatu depreſſio ejus ex magno jecore ſequatur.*

eum exercet, & ſenſim magìs magìſque deprimit, laxando membranas, quarum ope cohæret Œſophagus cum altero Diaphragmatis muſculo; ſic totus canalis in longitudinem trahitur. In caſu Illuſtriſſimæ Patientis non à cibo, potuque diſtentum, ſed à flatibus præcipuè ventriculum fuiſſe, crediderim, cùm de enormi flatuum emiſſione mentionem factam in Hiſtoriâ videamus.

*Sanguis hydropicorum ad veræ bilis generationem parùm idoneus.*

V. Veſiculam bilis vel inanem in Hydropicis eſſe, vel flaccidam non raró obſervamus, cum modicâ bile viſcidulâ, & pallidâ. Cauſa quidem peti à vitio obſtructi Hepatis poteſt, ſed aptiùs fortè deducitur à conſtitutione ſanguinis Hydropicorum, qui minimè vegetus eſt, ideòque ineptus ad veræ bilis generationem, quæ vividiorem in Homine, calidioremque ſanguinem requirere videtur. Hinc rectè monet in Arte Parvâ Galenus, quòd Hepar calidum maximam gignit bilis copiam.

# OBSERVATIO VI.

*Cranium craſſiſſimum cum ſuturis vix apparentibus. Aridiſſimæ Meninges. Nihil humoris in ventriculis Cerebri. Medulla oblongata bilioſo ſero tincta.*

*Hiſtoria.*

I. REligioſa annum ætatis vigeſimum ſeptimum agens, imbecillis naturæ, bilioſi temperamenti, raræque, ut vocant, Corporis texturæ, cœpit leviter febricitare, ſed cum maximis ad vomitum ſtimulis, vomebatque multam bilem, quam modico vix dilutam ſero, præſertim ab uſu catharticorum, dejicie-

ciebat. Epilepticas tandem incidit in convulſiones, quarum importunis acceſſionibus triduò correpta, vitam tertiâ die finivit.

II. Quædam inter hæc adnotabamus. Profundum inprimis ſomnum, à quo tamen ex affrictu partium, quibus admota fuerant veſicantia, expergiſcebatur querula, prominentibus oculis, capite, manibus, totoque interdùm corpore irrequietis: ceſſantibus poſteà ſtimulis, ad ſoporem revertebatur. Lucidis inſuper intervallis fruebatur, quibus cibum capiebat, pia verba enunciabat, & Aſſiſtentes cognoſcebat. Erant verò in inſultibus horrificæ convulſiones, capite in ſpinam reducto, brachiis, femoribuſque contractis, ore ſpumoſo.

III. Cerebrum in Cadavere inſpecturi, craſſiſſimum offendimus Cranium, ſuturiſque vix apparentibus tam ſtrictè connexum, ut illis carere prorsùs videretur. Vaſa ſupra Cerebri anfractus multo ſanguine turgebant. Nihil in Cerebro ipſo à naturâ receſſerat; Hoc unum animadvertimus, oblongatam medullam bilioſo infectam ſero. Ventriculi lymphâ erant deſtituti: Vaſa plexûs choroidis inania: Meninges aridiſſimæ.

*Capitis inſpectio.*

## SCHOLIUM.

IV. CRaſſitudinem Cranii in multis obſervavi, qui neque epileptico, neque ullo Cerebri affectu laboraverant; eſt autem conſideranda in iis, qui morbis hiſce divexabantur fortaſsè ob rationes, quæ communiter à Medicis afferuntur; Atque hìc potiſſimùm notabilis eſt, dum ſtrictiſſima quoque oſſium per ſuturas vix apparentes

*Craſſitudo Cranii, & obſcuritas ſuturarum perſæpè noxia.*

connexio habetur: Quod in juvenili ætate accidere rariùs ſolet, cùm ætate provectis familiare ſit, apparentibus tantùm ſuturarum veſtigiis, quæ interdùm dignoſci vix poſſunt.

*Vaſorum turgeſcentia lentorem ſanguinis ſignificat.* V. Turgeſcentia vaſorum in aliquâ parte Corporis lentorem ſanguinis in eâdem ſignificat; Quandoquidem ſi ſanguis flueret per univerſum Corpus æquali proportionaliter velocitate, omnia æquali proportione vaſa turgerent; ſed plenitudo vaſorum in aliquâ tantùm parte ſupponitur; Igitur ſanguis in eâ parte impari fluit velocitate. Dici autem non poteſt, quòd ibi major ſit velocitas, quia abriperetur liquidum efficiens turgeſcentiam; Itaque fluere liquidum minori celeritate, manifeſtum eſt.

*Vaſorum cerebri turgentia veriſimilis cauſa ſoporis.* VI. Nunc quoniam ſupra Cerebri corticem major eſt in vaſis ſanguinis quantitas, quàm naturaliter eſſe deberet, & corticem comprimi à ſuperincumbente in vaſis liquido, neceſſe eſt; Igitur comprimetur magis Cerebrum, quum liquidi major eſt copia, quàm quum minor eſt. Et quemadmodùm liquido majori celeritate fluente diminuitur gravitas ejus ſupra corticem propter directionem motûs ejuſdem per longitudinem canalium: ità lenteſcente liquido augetur gravitas ejus ſupra corticem Cerebri, quia diminuitur momentum velocitatis per longitudinem canalium. Quare tum ratione lentoris, tum majoris copiæ in vaſis plurimùm valet ſanguinis pondus ſupra corticem Cerebri; ex quo fortaſsè profundus potuit ſopor in caſu enarrato pendere.

VII. Ex aritudine ventriculorum, atque meningum ſiccam quoque Cerebri intemperiem concipio; quamobrem facilior advenientibus ſtimu-

lis

lis convulſiva ſuccedit affectio. Ac ipſa quidem dura mater aridiſſima tanquam in ſpaſmodico ſtatu fuit conſideranda; quâ ratione in ſinibus etiam venoſis contractior facta debebat refluum per venas ſanguinem cohibere; unde ea vaſorum ſupra corticem Cerebri turgentia derivatur. *Ejuſdem turgentiæ ratio.*

VIII. Potuit oblongata medulla à ſpiculis bilioſi liquoris, cujus flavedine infecta apparuit, irritari: & ex fibrillarum ejus trepidatione ſpirituoſum liquidum inæqualiter, vehementerque commoveri; unde convulſionis ratio petenda eſt. Quemadmodùm enim idem humor bilioſus ventriculi fibras vexando violentos vomitus excitabat, ſic in Cerebro oblongato, nervoſiſque appendicibus ſpaſmodicam affectionem facillimè valuit inferre. *A ſpiculis bilioſi humoris oblongatæ medullæ convulſiva proritatio.*

IX. In Virgine Moniali, delicatulâ, febriente, cum tanto bilis ferinæ proventu minùs eſt, ut morbi indolem, vehementiam, inſolentiamque admiremur.

## OBSERVATIO VII.

*Pulmo inflammatus. Cor magnum, variegatum, duriſſimum.*

I. Miles ex gravi morbo convaleſcens in acutam incidit febrim, cum reſpiratione difficili, tuſſi ſiccâ, & conſtanti circa medium ſternum dolore. Pulſus erat frequentiſſimus, acerrimus calor, intenſiſſima ſitis. De Cordis phlogoſi conjecturam fecimus. Tempeſtiva interim remedia adhibuimus, quibus brevì non proficientibus ſupremam diem obivit. *Hiſtoria.*

*Imi ventris, ac medii inſpectio.*

II. Tumidum Hepar in Cadavere vidimus: paucum in Abdomine ſerum: abſumptum penè omentum: Pulmonem in dextrâ Thoracis parte inflammatum, cujus portio ſuperior denſa, & admodùm dura, inferior ſpongioſa erat, & mollis. Cor mole maximum albicantibus variegatum maculis occurrebat: ſubſtantia ejus duriſſima, ac penè ſcirrhoſa, atri coloris, cum vaſis coronariis turgidiſſimis. Duos offendimus in dextro ventriculo polypos, quorum grandior in venam cavam, alter in pulmonalem arteriam ramoſas propagines emittebat. In ſiniſtro ventriculo grumoſus tantùm, & ſero deſtitutus, ut reliquus in toto Corpore, ſanguis apparuit.

## *SCHOLIUM.*

*Acuta febris magno morbo ſuperveniens periculoſior.*

III. QUòd ex febre acutâ magnæ ægritudini ſuperveniente majus immineat periculum, quàm ſi gravis non anteceſſerit morbus, evidentiſſimum eſt; ſed non ità facile videtur, unde tantum periculum dependeat, mechanico ratiocinio luculenter oſtendere. Hoc etenim peti debet tum ab infirmâ conſtitutione ſanguinis poſt morbum, tum à ſolidarum partium conditione, in quibus peculiaria ſunt eo tempore adnotanda, quo aliquis ex gravi ægritudine convaleſcit; unde ſupervenientis morbi periculum eruitur. Multa quidem ea ſunt, quæ hìc recenſere & arduum eſſet, ut dicebamus, & nimis prolixum.

IV. Videbatur in expoſito caſu ab obſtructione, vel compreſſione canalium aereorum difficilis reſpiratio oriri. Obſtructio autem tam repentina eſſe non poterat, quoniam in Homine febri ve-

xato

xato obſtruens materia eſſe debebat inſignis liquidi copia in aereos canales, veſiculaſque depluentis: quod ſanè dixerit nemo, quia tuſſis erat ſicca, indicium moleſtæ vellicationis in internâ Trachææ, & bronchiorum tunicâ, quæ acutiſſimi ſensûs eſt, excitatæ ab exiguâ quantitate humoris acredine peccantis; ac ea quidem obturare aereos canales minimè valebat. Cauſa itaque fuit compreſſio, eaque facillimè explicabilis, ſi ſupponamus, quòd Pulmo turgebat, ut reverà turgidus erat, multo ſanguine, eoque ebulliente, & rarefacto; ex quo ſpiritales tubulos, veſiculaſque premi, coarctarique oportebat; unde liquidum aereum impotens erat tracheales ductus ſatis diſtrahendi, niſi coacto anhelitu Æger uteretur ob reſiſtentiam ipſius ſanguinis undequaque prementis. Pulmonalium verò plenitudo vaſorum, ſanguiniſque in iis accenſio, & lentor ex pluribus cognoſci in ſectione Cadaveris potuerunt. Ex obſtructione, & notabili Jecoris intumeſcentiâ, ex polypis in Corde repertis, ex ipsâ inflammatione Pulmonis, ac denſitate, quæ in expoſitam poſtremò duritiem degeneravit.

*Difficilis anhelitus à ſanguine in pulmonibus copioſo, & accenſo.*

V. Dolorem fixum circa medium Sternum, quando externus non eſt, vel in Corde, vel in Pericardio eſſe, veriſimiliter cenſendum. Fieri enim poteſt, ut Pericardium ab humore acri moleſtè vellicetur, vel ab accenſo ſanguine afficiatur, non ſecùs ac reliquas affici partes contingit. Præterea fiunt aliquandò exulcerationes in Capſulâ Cordis, nonnunquam abſceſſus; ex quibus conſtat, cauſam doloris in Pericardio multiplicem eſſe poſſe.

*Dolor fixus circa medium ſternum cordis vel pericardii affectionem poteſt ſignificare.*

VI. Cor autem phlogoſi affectum, tanquam

cau-

*Indicium inflammationis Cordis.*

causâ dolorificæ paſſionis, noſtro in caſu frequentiſſimus pulſus indicare videbatur; Hic enim importunè Cor proritari ad crebram contractionem propter ardorem ſanguinis, oſtendebat, qui non ſolùm in ventriculis, ſed etiam in ejus ſubſtantiâ villos impensè calefaciendo, maximam in illis rarefactionem liquidi nervoſi excitabat; unde paratum Cor perpetim ad contractionem erat, eoque momento, quo ſanguinem recipiebat, conabatur expellere. Cordis ſubſtantia, ut omnibus notum, ex fibris arctè complicatis, & circumvolutis compacta eſt; unde in eâdem fieri, ut in aliis partibus, tanta cruoris non ſolet effuſio. Præthereà ſanguis, qui à coronariis arteriis ſpargitur in ſubſtantiâ Cordis, in ſyſtole urgetur in venas ob turgeſcentiam villorum, ut patet; quamobrem exigua portio ejus in interſtitiis, & poris remanet. Veruntamen ſi impensè ſanguis ebulliens, & in ſpatiis fibrarum & poris effuſus, quacunque de causâ, quæ multiplex eſſe poteſt, non valeat in coronarias venulas, vel à venis in dextrum Cordis ſinum liberè effluere: quia is ſupponitur accenſus, conabitur ſe in fibras, & meatus tentatâ diſtractione uberiùs intrudere, & calefaciet Cordis villos præternaturaliter, eoſdemque quaſi uret, ſeu inductâ ſiccâ phlogoſi torrebit: & turgebunt coronaria vaſa, & totum Cor indurabitur, ſive ob exſiccatos villos, ſive ob ſanguinem in ſpatiis fibrarum, & poris ſtagnantem, atque concreſcentem.

*Albicantes cordis maculæ ex quâ fieri materiâ poſſint.*

VII. In Pulmone inflammato, ac Jecore obſtructo, tumidoque maculis non raro ſignatas offendi membranas, eaſque albicantis, aut varii coloris, quas ab humore purulento, vel in gelatinam

nam concreto excitatas eſſe, pellicularum factâ inciſione cognovi. Enarratas in hâc Hiſtoriâ maculas Cordis nequaquam ab iis fuiſſe diverſas, opinor; nam & gelatinoſum ſerum promit accenſus ſanguis, hujuſque collectæ portiones in purulentam coqui materiam conſuevere.

# OBSERVATIO VIII.

*Pancreas duriſſimum. Liquor multus in canali Wirſungiano. Capſulæ atrabilariæ maximæ, & alteratæ. Cor magnum & planum.*

I. SAcerdos ætatis conſiſtentis tetrâ ſcabie laborabat cum pruritu moleſtiſſimo, intenſiſſimâque ſiti; cæterùm benè videbatur ſe habere. Nocte quâdam ex improviſo mortuus eſt. *Hiſtoria.*

II. Obtulit ſe in Cadavere duriſſimum Pancreas, cujus canalem lymphaticus humor implebat: Succenturiatorum Renum ſpectabilis moles, interior alteratio, friabilitas. Dextri lateris alteratus Pulmo arctiſſimè adhærebat pleuræ. Cor magnum, non ſubrotundum, ſed depreſſum valdè, & planum. Auricula dextra varicoſa ventriculo æqualis. Concretiones Cordis polypoſæ in quatuor magna vaſa producebantur. *Infimi, mediique ventris inſpectio.*

## *SCHOLIUM.*

III. PRuritus moleſtiſſimus, & intenſiſſima ſitis in Corpore tetrâ ſcabie laborante aquei humoris penuriam cum redundantiâ, & ferinâ ſalium qualitate ſignificant. Tot inter mirificas

*Eximia utilitas aquei humoris.*

aquei humoris utilitates ea ſanè minima non eſt, quòd abſtergendis ſalibus, atque per urinam, ſudorem, &c. eliminandis inſerviat; Nemini quippe ignotum eſt, quàm facilè ſales cum aqueis ſocientur liquoribus; Hi verò humido deficiente retinentur in Corpore areſcente, ſanguinemque acredine ſuâ inficiunt, neque à ſero diluti ſatis, in ſolidis partibus, frequenterque in Cute figuntur, quam enormiter aliquandò deturpant, graves affectus, atque pertinaces excitando.

*Ductus Wirſungianus cur lymphâ turgidus apparuerit.*

IV. Nunc quoniam ſanguis in hoc Ægrotante fluxilis ſeri quantitate deſtitutus erat, lympha etiam minùs fluida, ſed lenta, & viſcidula in glandulis ſegregabatur; Quamobrem potuit ſuccus iners in Wirſungiano ductu reperiri, ſicuti lenteſcens interdùm ſaliva in Parotidis canali fuit deprehenſa. Obliqua in Duodenum inſertio tubuli anguſtiorem meatum reddit; unde viſcidulus liquor tardo motu fluens, difficilemque exitum inveniens potuit in illo turgere. Duriſſima Pancreatis conſiſtentia concreſcibilem humorem à ſanguine ſuppeditari pariter oſtendit.

*Succenturiatorum Renum alteratio, & friabilitas à qua causâ.*

V. Liquorem ſecerni in Succenturiatis Renibus, qui venoſum ſanguinem factâ lotii percolatione blandè ſolvat, liquidumque ſervet, veriſimile eſt. Igitur in Corpore, quod tetrâ ſcabie vexabatur, liquorem illum acriorem eſſe factum, & erodentem, crediderim, ab eoque inductam Organorum alterationem, atque friabilitatem. Qui Corporum Sectionibus dare operam ſolent, ſedulò in hæc Organa inquirere deberent; quadam enim incuriâ factum puto, ut de morboſo ſtatu Succenturiatorum Renum pauca Scriptores tradiderint. Quæ præter naturam in his obſervari poſ-

poſſunt, multam fortaſsè lucem ad inveſtigandos uſus ſunt allatura.

VI. Auriculæ dextræ magnitudo antiquam originem Polyporum, meo quidem judicio, indicare videtur; prout enim minus gradatim ſpatium in Cordis cavo relinquitur, portio ſanguinis major in auriculâ retinetur; & quoniam vena cava novum ſemper nititur ſanguinem intrudere, ideò auricula in majorem dimenſionem cogitur extendi. Rarum extat grandioris Auriculæ, cum eleganti icone, exemplum apud P. Dionis Celebrem Anatomicum Pariſienſem; Hanc utique ut curioſi Lectores inſpiciant, conſulo, adjectam Diſſertationi De Hominis Generatione, quæ gallico fuit idiomate ab Authore evulgata.

*Ex polypis cordis dextra auricula amplior fit.*

VII. Cæterùm mors improviſa polypis in Corde repertis, qui in quatuor magna vaſa producebantur, procul dubio eſt adſcribenda; Patet enim, quòd majoribus hiſce vaſis penè obſtructis circulatio ſanguinis ità debuit intercipi, ut Homo maneret exanimis. Sed illud unum mirari ſatis nequeo, quòd præter moleſtiſſimum pruritum, intenſiſſimamque ſitim benè Sacerdos videretur ſe habere, cùm tot tantaque organorum vitia poſt repentinam mortem fuerint in Cadavere deprehenſa.

*A polypis cordis mors improviſa.*

# OBSERVATIO IX.

*Inflammatio Meningum. Cerebelli corruptio.*

*Hiſtoria.* I. ADoleſcens ab ingenti trabe ab alto cadente fuit Capite percuſſus, cùm fracturâ, & depreſſione oſſis parietalis. Ablatis ſquammis, curatoque vulnere circa diem ſeptimam ingens totius ferè Corporis, potiſſimùm Capitis, & Pectoris, Eryſipelas ſupervênit. Mortuus eſt die undecimâ. Mirabamur, febrim nullam, nullamque, niſi paucis antè obitum horis, deſipientiam accidiſſe.

*Capitis inſpectio.* II. Inflammatæ Meninges, & Cerebellum corruptum reſecto Cranio apparuerunt.

## *SCHOLIUM.*

III. RAriſſimum ſanè eſt, quòd inflammari Meninges, contingat, nullus verò in ſanguine febrilis motus excitetur: rariſſimum, inquam, eſt, cùm non ſolùm febrim accerſere ex communi Medicorum ſententiâ hujuſmodi inflammatio ſoleat, ſed etiam delirium, & aliquandò phrenitidem. Quoniam verò firmior ſanguinis craſis, & compages in vegetis, rectèque conſtitutis Corporibus difficillimè alteratur, niſi potentiores accedant ſtimuli, qui eundem valeant in febrilem motum ciere: ideò fieri potuit, ut fluxiles particulæ in parte inflammatâ depravatæ, & recirculantes cum ſanguine, necnon ſpiritus ex Cerebri concuſſione ſimul affecti parem habere vim ad concitandam efferveſcentiam, niſi ultimis vitæ horis, minimè potuerint; quo tempore in-

*Difficilis efferveſcentia ex firmiori ſanguinis compagine.*

inflammatio plurimùm adaucta, & Cerebelli corruptio febrem cum delirio produxerunt.

IV. Plura de Cerebelli corruptione dicerem, quæ ſatius omittere arbitror. Enimverò in explicandis phænomenis morborum Capitis, iis præſertim, qui rarò accidunt, copulatique ſunt inſolitis ſymptomatibus, ex omnibus fateor ſententiis, quæ ab Authoribus paſſim afferuntur, quæque mihi in mentem venerunt, vix ullam arridere.

*Morbi capitis, eorumque ſymptomata explicatu difficillima.*

V. Intereà non unicum incidit dubium: an ſcilicet multò minùs ex Cerebello, quàm ex affecto Cerebro deſipientia excitetur: an tacita quædam, occultaque febris extiterit cum externo potiùs horrore ob affectas Cerebri membranas, quàm acriori caliditate: an Eryſipelas aliqua fuerit de causâ repulſum; unde ex ictu accepto debilitatas meninges, concuſſumque Cerebellum refluus humor invaſerit, hincque exorta febris cum delirio fuerit.

*Dubia quædam.*

# OBSERVATIO X.

*Inſolita magnitudo Cæci Inteſtini. Fibroſus Tumor intrà tunicas Cæci, & Coli, earumque corruptio. Colon ſinè cellulis.*

I. SExagenarius temperamenti atrabilaris, infirmæ valetudinis, cruciatibus ventris obnoxius, de dolore fixo ad iliacam dextri lateris regionem conquerebatur. Febris non aderat, ſed facilè, frequenterque vomebat; vomitus autem non erat vehemens. Primò clyſterum uſu, dulciumque oleo amygdalarum mitigatus eſt

*Hiſtoria.*

dolor : mox ſæviit aſſumpto acriori pharmaco, ex quo nihil ferè dejecit; neque ulla deinceps vacuatio, niſi per vomitum, purgantium ope ſuccedebat. Fruſtrà erant renovati clyſteres, nam ſynceri exibant; nec felicior olei eventus fuit, quod planè nullum doloris levamen afferebat. Hinc febricitare miſellus cœpit, ſanguiniſque miſſio explorata eſt. Febricula ferè evanuit; nihilominùs exacerbatur dolor. Æger intereà aſſiduo vomitu, extremis frigidis, formicante pulſu, ventre inſtar aſcitici tumidiſſimo, & duro, ſenſim languendo defecit.

*Infimi ventris inſpectio.* II. Diſſecto Cadavere Cæcum inteſtinum inſolitæ magnitudinis, utì etiam Coli principium offendimus. Intrà eorum tunicas caro concreverat fibris diſtincta, veluti muſculoſa, quæ illorum craſſitudinem plurimùm auxerat. Caro hæc mollis luxurians, atque putreſcens gangrænæ vitium induxerat. Reliqua Inteſtina livida erant, & fracida. Colon non apparuit in cellulas diſtinctum.

## SCHOLIUM.

*Inteſtinum multifariam poteſt anguſtari, vel occludi.* III. ANguſtari inteſtinalis tubus à multis ſanè cauſis, multiſque modis poteſt, vel penitùs occludi: à materiâ inprimis cibariâ, aut fæculentâ, quæ fortè induruerit, vias obſtruente: à compreſſione, vel ſtrangulatione, ut in Hernioſis contingit: à tunicarum intumeſcentiâ, aut ſingulari inter earum ſpatia exorto tumore, ut cùm humores concreſcibiles gradatim congeruntur, & in unam grandiorem maſſam coaleſcunt.

*Anguſtiam, vel occluſio-* IV. A quacumque causâ canalis anguſtia, vel occlu-

occluſio omnis procedat, manifeſtum eſt, per vomitum alimenta rejici, & quidquid ingeritur, aut in viis cibariis continetur, debere : ideòque chylificationem, & nutritionem lædi, cibi faſtidium induci, ventris dolores excitari, languorem, mortemque tandem ipſam ſubſequi.

*nem ejus, quæ mala conſequantur.*

V. Ac eo primùm admiſſo principio, quòd ex contractione cylindrici canalis directio motûs liquidorum fiat ad utrumque æqualiter extremum, ſi pervium abſque ullo impedimento utrumque extiterit : vel ad unum tantùm, altero impervio, vel obſtaculo quodam occurrente, directio reducatur : evidens eſt, quòd in naturali ſtatu, utroque inteſtinalis tubi patente termino, ad utrumque æqualiter contenta materies protruderetur (quæ plùs minùſve diluta poteſt liquidi habere rationem) & tam per vomitum, quàm per ſeceſſum rejiceretur, niſi obvium aliquod fieret impedimentum in ſuperiori parte canalis à naturali contractione ejus non ſuperabile. Hâc enim de causâ fit, ut materiæ motus ad inferiorem partem dirigatur, in quâ licèt obſtacula non deſint alios propter uſus neceſſaria, ea tamen eſſe reſpectu ſuperiorum minora, ſatis eſt, eademque faciliùs à naturali contractione ſuperabilia.

*Datâ uniformi contractione inteſtinalis tubi tam ſuperiùs, quàm inferiùs cibaria materies propelleretur, niſi impedimentum adeſſet.*

VI. Modò anguſtiam præternaturalem, reſiſtentiamque potentiorem in aliquâ inteſtinalis tubi parte inferiore ſupponamus; Ibi igitur magnum occurrit obſtaculum, cujus actio major eſt naturali vi ſuperioris. Quare directio motûs materiæ in cylindrico canali ad ſuperius convertetur extremum, ubi reſpectivè minor erit reſiſtentia, eaque à contractione canalis per ſtimulos concitatâ ſuperabilior inferiori, quæ major jam ſupponitur.

*Dato obſtaculo in parte inferiore inteſtini, ad ſuperiorem contenta repelluntur.*

VII. Sed

*Ventriculi, & inteſtinorum periſtaltica contractio.*

VII. Sed majus quiddam in motu inteſtinali admittendum eſt. Enimverò vis contractionis, motûſque diſpoſitio minimè indifferens eſt, ſed in naturali ſtatu, atque præternaturali determinata, & conſtans. Scilicet à ventriculo ad alvum naturalis directio ſpontanea, & ſucceſſiva eſt; interdùm morbosè invertitur, ut exemplum in Herniosis non rarò funeſtum habemus. Utcunque regularis hic motus procedat, periſtalticus, aut vermicularis, ut Anatomici docent, ritè appellatur. Habito igitur in quadam parte canalis renitente obſtaculo, quaſi immemor legis ſuæ Natura ſuperiora versùs periſtalticam vim repentè convertit, quæ in Stomachum, & Œſophagum quoque ipſum propagatur. Ac ſi potens aliquis ſtimulus, præter vim remoræ qualemcunque, accedat, fiet inverſio vermicularis motus concitatior, atque vehementior, ſtimuloque manente conſtantior.

*Ejuſdem motus inverſio.*

VIII. Atque ex his patet, quomodò vomitus in Obſervatione enarratâ ſit explicandus, quomodò læſa chylificatio fuerit, & perturbata animalis œconomia, denique Corporis macies, ipſaque mors ſupervenerit.

*Colon minimè in cellulas diſtinctum.*

IX. Quòd verò Colon in cellulas minimè diſtinctum apparuerit, curioſum id quidem, rariſſimumque videtur; quanquam intelligendum eſſe potiſſimùm cenſeo de inſigni portione initio inteſtini proximâ. Cauſa ab excreſcenti, molli, ſenſimque putreſcente carne, & à propagato lento humore tunicas macerante, ac ligamenta laxante petenda eſt.

OB-

# OBSERVATIO XI.

*Cutis, & Inteſtina bile tincta. Hepatis, & Diaphragmatis inflammatio. Lien monſtroſus. Flaccidi Cerebri Icterus.*

I. CIrculator quidam lacertoſi Corporis, proceræ ſtaturæ, ac tanti roboris, ut fune capillis alligato immodici ponderis ſaxum elevaret, cœpit febricitare cum levi ſubdelirio; poſteà febris plurimùm eſt adaucta. Imo in Pectore dolorem acerbiſſimum cum importunâ tuſſi, & ſiccâ percipiebat. Empiricus ad Circulatorem vocatus propinavit Antimonii vitrum, ex quo ſequuta fuit tam per vomitum enormis, quàm per ſeceſſum vacuatio. Poſt dies aliquot phrenitide correptus eſt, tantoque accenſus furore, ut mediâ nocte ſurgens validiſſimam januam ferramentis munitam brachiorum vi frangeret, ſibique fugam procuraret. Deſipientiæ plerunque cum riſu erant; deformes oris, genarumque torturæ obſervabantur. Obiit phreneticus. *Hiſtoria.*

II. Hepar in cadavere, ſeptumque tranſverſum in centro nerveo inflammatum invenimus. Inteſtina bile tincta erant. Cutis univerſa, potiſſimùm faciei, icterica. Lien apparuit rotundus, membranâ involutus duriſſimâ, craſſiſſimâque, & quâ coſtas nothas parte reſpicit, cartilagineâ, ac ferè oſſeâ. Siniſtri Pulmonis pars extrema ad Diaphragmatis contactum, adhæſionemque venerat. Vaſorum plenitudinem, & flavum Cerebri colorem animadvertimus, cujus flaccida ſubſtantia corruptioni erat proxima. *Inſpectio Cadaveris.*

## SCHOLIUM.

*Quamobrem in phreneticis augeantur vires.*

III. Vires animales augeri in delirantibus cum furore, familiare eſt. In maniacis obſcurior, quàm in phreneticis ratio videtur. In his etenim ſic efferveſcit ſanguis, exaltatur bilis, concitantur, inflammanturque ſpiritus, tenduntur fibræ, ut in Cerebro, nervis, muſculis tumultus ingens, & ad motum aptitudo maxima comparetur. Cùm tanto naturaliter robore prædìtus hic Homo eſſet, minimè mirum eſt, quòd adauctæ ſic vires excitatâ phrenitide fuerint.

*Dolor in pectore, & tuſſis.*

IV. Peccans humor, qui vehementem in liquidis partibus, & ſolidis tumultum inducebat, Pulmoni moleſtiam primitùs inferre, ſimulque Diaphragmati potuit; unde acerbus imo in Pectore dolor, moleſtaque tuſſis veriſimiliter pendebat. Quanquam nulla ultrò inquirenda eſt ratio, poſteaquàm Diaphragmatis inflammationem, adhæſionemque Pulmonis apertum Cadaver exhibuit.

*Cutis, inteſtina, cerebrum flavo colore infecta.*

V. Ex motu, copiâ, tenuitate bilis evidens eſt variis in partibus obſervatæ flavedinis cauſa. Accedit ſingularis ratio, quamobrem determinatæ partes flavo colore inficerentur. Tingi primò Cutem nihil communius eſt: quod propter organi affinitatem probabiliter evenire ſolet. Copia bilis, quæ ex cholidocho percolatur, quæque ex ipſius Cyſtidis, & canalium poris eò copioſior evadit, quò ſubtilior, Inteſtina facillimè inficit. Cerebrum verò præcipua pars in hoc Ægrotante laborans bilioſi ſanguinis notam potiori jure recepit; quin ipſa, ut opinor, bilis inficiens Cerebrum, ſocia ejuſdem affectûs cauſa fuit; hinc

major proritatio, atque moleſtia Cerebro, ſpiritibuſque illata eſt: in cujus fibris tenſionem initio quandam ſeu ex phrenetico affectu, ſeu ex viribus valdè adauctis concipio. Sed appropinquante obitu flacceſcentibus fibris ipſæ etiam vires veriſimiliter conciderunt. Quod de proximo ad corruptionem Cerebro indicatum eſt, id ego ad unam flacciditatem referendum puto. Ita ſanè meus ſe Pater expreſſit, cùm eam flacciditatem magnifaceret.

VI. Lienis figurâ nil magis inconſtans. Membranam verò, ipſamque aliquandò induratam ſubſtantiam in aliquâ parte ejus inveni. Sæpè etiam aliæ membranæ, canales, ligamenta, cartilagines præter naturam indureſcunt. Hæc, ut notum eſt, frequenter in ſenibus contingunt. Non ita pridem coronariam vidi arteriam naturali multò majorem, duriſſimamque veluti oſſeam. Sed nihil in caſu noſtro, ut ſatis patet, Lienis vitium potuit ad morbum, mortemque conferre.

*Partes variæ ſolent in ſenibus præſertim indureſcere.*

VII. Nihil magis cum ludicro circulatore convenit, quàm ineptus, & audax empiricus. Morbus verò rationalem Medicum poſtulabat, qui neglectas ſanguinis miſſiones imperaſſet, diluentia ſimul, & demulcentia, cum blandè educentibus luxuriantem bilem, adhibuiſſet.

*A rationali Medico non recedendum.*

# OBSERVATIO XII.

*Veſicula Bilis maximæ magnitudinis cum cyſtico meatu obſtructo. Denſus, ac durus Pulmo. Hydatides in ſuperficie Cordis.*

*Hiſtoria.* I. VIr quadragenarius à quatuor jam menſibus Tertianâ febri, quam duplicem dicere continuam ex paroxiſmorum ſubintrantiâ Medici ſolent, laborabat. Hæc vario remediorum uſu in ſimplicem eſt commutata; mox univerſum Corpus œdematoſum evaſit; indè in quartanam tertiana migravit. Tumor interim evanuit; & importuna tuſſis, poſteà tabes ſupervenit. Imbecillum denique Ægrum convulſivi motus repentè corripuerunt, qui in extremis frigidus brevì ſpiritum efflavit.

*Inſpectio Cadaveris.* II. Copiam ſeri in Abdomine, & Thorace ſectum Cadaver oſtendit, nihilque in Capite morboſi præter exhauſta vaſa ſanguinea. Hydatides in ſuperficie Cordis turgidas numerabamus. Subſtantiam Pulmonum denſam, & duram, & quadam ad hepaticam ſimilitudine accedentem vidimus. Biliaris veſiculæ immodica magnitudo erat; nam intrà ejus tunicas ſerum inſtar gelatinæ ita concreverat, ut earum craſſitudo digitum æquaret. In meatûs cyſtici ambitu tantum lymphæ coagulum aderat, ut bilis omninò tranſitum cavitas cæca intercluderet.

## SCHOLIUM.

III. AUctam biliaris veſiculæ molem aliquoties obſervavi ex glutinoſo ſero tunicis

ejus

ejus intercepto. In quibuſdam Hydropicis hanc vidiſſe craſſitudinem recordor; hinc Cyſtidis Hydrops non impropriè vocaretur. Tunc etiam cyſticum meatum valdè coarctatum à denſitate tunicarum deprehendi. *Cyſtidis hydrops qualis.*

IV. Subſtantia Pulmonum naturaliter leviſſima eſt, rariſſimæque texturæ, cùm nihil ferè ſit præter membranarum, canaliumque congeriem. Si enim à Pulmone continentem abſtuleris membranam, ſi tubulos aereos cum veſiculis, ſi interiores pelliculas, glanduloſos folliculos, arterias, venas, nervos, vaſaque lymphatica, quam ultrò ſubſtantiam inveneris? Eſt igitur ſpongiæ adinſtar conformatus Pulmo, qui multum humorem imbibere poteſt ob veſicularum multitudinem, quibus vacua interjecta ſunt ſpatia, innumeroſque canales aereos, qui etiam inanes quodammodò ſunt. Tot tantique pulmonales loculi humoribus in Corpore fluentibus, & ad concreſcendum idoneis, poſſunt gradatim impleri, qui in bronchialibus glandulis, aliiſque ſegregantur. Quod ſi aliquandò contigerit, evidens eſt denſum fieri, & durum magìs, minùſve Pulmonem debere, prout ſpatia implens humor plùs, minùſve erit copioſus, craſſus, & concreſcibilis. Tametſi denſitas, duritieſque Pulmonis aliter poſſit explicari, tamen veriſimilem in caſu Hydropici indicaviſſe modum arbitror. Ac ipſa Cyſtidis adaucta moles modo ſuperiùs expoſito id ipſum ſuadere videtur. *Pulmo ſpongiæ ſimilis humores multos imbibit.* *Denſus fieri pulmo, & durus quâ ratione in hydropico poſſit.*

V. Apparent frequenter Hydatides in ſuperficie Hepatis, Lienis, Cordis, aliarumque partium, quæ vulgò haberi pro varicibus lymphaticorum vaſorum perpetim conſueverunt. Quanquam verò fieri poſſit lymphatici tubuli in aliquâ ſui par- *Hydatides, & varices viſcerum aquoſæ.*

te dilatatio, quemadmodum contingit in vaſis ſanguineis, non tamen Hydatidis nomen illi eſt tribuendum, ſed varicis. Formatio autem hydatidis ita explicari veriſimiliter poſſe videtur. Cogita viſcerum membranas conflatas ex villis contractilibus extenſiles eſſe, & diſtrahi poſſe à quacunque vi reſiſtentiam naturalis earum tenſionis ſuperante. Obſerva etiam, quòd membrana partem aliquam inveſtiens illi tam firmiter non adhæret, quin aliqua ejus portio poſſit à ſubjectâ parte elevari ſinè laceratione, quia ſupponitur extenſilis. Jam facilè concipies formationem hydatidis, quæ nihil erit aliud, quàm inveſtientis membranæ diſtracta, & in orbem elevata ad veſiculæ formam portiuncula. Cauſa ejuſmodi diſtractionis, & elevationis eſt liquidum ſeroſum propriâ fluiditate, gravitate, & motu à ſanguine, à Corde, & villis contractilibus aliarum partium communicato, vim faciens in portiunculam membranæ, in quam incidit, & cujus naturalis tenſionis, & cohæſionis reſiſtentiam poteſt multiplici momento vincere; unde diſtrahi, elevarique cogitur ad modum veſiculæ, quæ eodem ſeroſo liquore inflatur, & inflata permanet, donec aucto humoris fluxu veſicula diſrumpatur ob impotentiam majoris dilatationis: vel diminutâ vi liquidi nitentis in veſiculam villi contrahantur, ſibique procurent ſuam reſtitutionem per repulſionem ipſius liquidi. Poteſt etiam humor per poros veſiculæ patentiores perſpirare.

*Hydatidis formatio.*

*Diſruptio, aut reſolutio hydatidis.*

VI. Modò ea indicari debet, quæ Hydatides, & lymphaticorum varices differentia intercedit, licèt ex dictis de Hydatide ſatis eluceſcat. Varix nempe ſeu nullo contactu, ſeu paululùm com-

*Hydatides inter, & lymphaticorum varices diſcrimen.*

preſſa

preſſa continuatum exhibebit alterâ ſaltem parte canalem, qui etiam, ut opinor, propè veſiculam naturali majoris diametri facilè apparebit. Contra Hydatis ſolitaria eſt, ſeu à continuitate vaſis ſejuncta, cujus tamen poterit vicinia incautos nonnunquam decipere.

# OBSERVATIO XIII.

*Muſculorum Abdominis ad dextrum Hypochondrium extenuatio. Magnum Hepar, & ſteatomatoſum.*

I. QUidam Gallus à pluribus menſibus lentâ febre detinebatur, habitu ejus laudabili in cachecticum degenerante. Siticuloſus erat, & vomebat ſæpiſſimè. Obſervabamus ingentem in regione Hepatis tumorem, qui totum occupabat Epigaſtrium, leviſſimoque tactu durities ad ſuperficiem veniens ita dignoſcebatur, ut externam quaſi intrà muſculos molem mentiretur. Quanquam nihil intentatum in curatione reliquimus, vicit omnium vim præſidiorum indomita vis, & longitudo morbi. *Hiſtoria.*

II. Cadaveris aggreſſi fuimus ſectionem, in quo miram exilitatem muſculorum ſupra Jecoris corpus animadvertimus; Ablatis enim communibus velamentis, carnearum vix apparebant veſtigia fibrarum, quæ exſiccatæ, & ſingulari maraſmo affectæ videbantur. Obtulit ſe magni Hepatis ſteatomatoſa ſubſtantia ſubalbicans, multoque quàm par eſt, compactior, duriorque. Non minima bilis flavo-ſanguineæ copia in veſiculâ continebatur. *Ventris infimi inſpectio.*

SCHO-

## SCHOLIUM.

III. QUoniam Hepar tumidum erat, & à rigidis ligamentis in ſitu ſuo detinebatur, debebat majus ſpatium occupare, & quaquaverſùm niti finitimas partes comprimendo. Contiguæ partes, quæ dimoveri è locis ſuis quoquo modo poſſunt, aliquantulùm declinando compreſſionem minùs patiuntur: Cæteras verò, quæ à tumidi Jecoris nequeunt contactu recedere, manifeſtum eſt majorem compreſſionem pati. Sed muſculi Abdominis huic ſemper organo contigui ſunt, interpoſito tantùm Peritonæo; Igitur ab Hepatico tumore plurimùm eos comprimi neceſſe eſt. Et quia Hepar non modò tumidum, ſed valdè etiam durum ſupponitur; Igitur hoc ſpeciatim de nomine compreſſionem eſſe majorem, oportet. Ex diuturnâ autem compreſſione factâ à præduro corpore ſupra molle corpus compoſitum ex fibris, canalibus, humoribus fluentibus, ſequitur, compreſſi corporis filamenta diſtrahi, attenuari, & tonum amittere: canales anguſtari, & humorum fluxum impediri; unde oritur compreſſæ partis extenuatio, aritudo, maraſmus.

*Muſculorum abdominis extenuatio à magno hepate, & duro.*

IV. Magnum, ac durum evaſerat Hepar à materiâ gelatinosâ in ipſo congeſtâ, quæ poros ejus, & tubulos impleverat, atque in illis induruerat; unde læsâ texturâ ejus organicâ cribrum manebat inutile, quia impar ſecernendæ debitæ quantitati ſynceræ bilis, imò noxium ob ea incommoda organum, quorum multis modis origo extitit, vel inſtrumentum.

*Hepar ad ſecretionem ineptum, & noxium.*

# OBSERVATIO XIV.

*Tumor cartilagineus in Pyloro, & ſuperiore parte Duodeni.*

I. RUſticus mediâ in ætate conſtitutus ab aliquot menſibus cibi faſtidio, vomitu, & languore vexabatur ſinè febri. Vomebat ſeroſa copioſiſſimè. Parvus pulſus, ſed æqualis erat. In Abdomine macilento durus Tumor percipiebatur, & circumſcriptus dextrorsùm ſub Ventriculo, ac ſi muſculos inter & Peritonæum contineretur. Nullus in parte tumente dolor. Purgantia vacuabant, etiam enemata. Tandem cùm ſeroſæ vomitus materiæ ita Ægrum vexaret, ut ne alimentis quidem eſſet locus, lentâ morte vitam finivit. *Hiſtoria.*

II. Tumorem Pylori, ſupremæque partis Duodeni ſectio Cadaveris patefecit; Eorum etenim ſexies ferè naturali major craſſitudo erat, non membranoſa, non carnea, ſed cartilaginea: circumferentiamque Pylori, & Duodeni non omnem, ſed exteriùs vergentem portionem occupabat, quæ media pars totius ambitûs propemodùm erat. *Inſpectio abdominis.*

## SCHOLIUM.

III. QUoniam alimenta in ventriculo diutiùs detinebantur ob anguſtiam Pylori, fieri vix poterat, quin à longiori morâ, & fermentatione vitium contraherent, atque corrumperentur; unde faſtidium cibi oriebatur, irritatæque ventriculi fibræ ad violentam contractionem ſtimu- *Inappetentiæ, & vomitus cauſa.*

mu-

mulabantur; Hinc vomitus frequenter Ægrum vexabat, qui poſtremis vitæ diebus ob majorem Pylori anguſtiam, & humorum in ventriculo copiam erat vehementior.

IV. Importunæ vellicationes in ſtomacho excitatæ, ad vomitum ſtimulantes, laxare excretorios meatus potuerunt, & ſeroſi humoris uberius depluvium allicere; quapropter inanes non erant, ſed cum multâ evacuatione ſeri conjunctæ vomitiones.

*Vomitiones ſeroſæ.*

V. Et quia deficiebat debita reſtauratio ſanguinis, & conveniens Corporis nutrimentum ob viam alimentorum coarctatam in Pyloro, & Duodeno, depravatam coctionem, rejectamque per vomitum cum ſeroſis recrementis cibi materiam; ideò non mirum, ſi Æger languore vexabatur.

*Ægri languor.*

VI. Nunc quamvis materia tumorem efficiens à ſanguine ſuppeditaretur, cùm ejus eſſet indolis, ut nullum in ſanguine vitium, præter viſcidulum fortaſsè quiddam, & nimis concreſcibile in ſero argueret; ideò nulla contigit febris. Vix quicquam porrò ex cartilagineâ intumeſcentiâ in ſanguinem poſſe reverti videbatur, quo ſanguis inquinaretur; unde hac etiam de causâ potuit Æger ſinè febrili tumultu morbum hunc ad mortem uſque ſuſtinere.

*Cur febris nulla.*

VII. Expoſitæ excreſcentiæ materia cum tunicis ipſis concreverat, & induruerat: & tunicæ craſſiores, durioreſque ſic evaſerant, ut obtuſiſſimi, aut nullius fortaſſe ſenſus eſſent participes; Quare nullum Ægrotans in parte tumente dolorem percipiebat.

*Quare dolor nullus.*

OB-

# OBSERVATIO XV.

*Pulmo carnoſus. Multum aquæ in Pericardio. Hydatis in ſuperficie Cordis ulceroſa.*

I. GAllus quidam ætatis conſiſtentis, qui è Patriâ nuper advenerat, ægrotare cœpit cum parvo pulſu, & raro, mitiſſimo calore, nullo dolore Capitis, nullâ ſiti. Parùm tuſſiebat, & aliquandò quid ſpumoſum, & albicans exſcreabat; verùm difficilè reſpirabat, & ſuffocari ſe, ajebat, & à pondere Pectoris opprimi, quod tolerare ultrò non poterat. Nihil remedia attulerunt levaminis. Ergò Pectoris anguſtia adauctâ, pulſu ſenſim deficiente, ac tandem abolito, mente tamen conſtans, vocem, hinc vitam breves intrà horas amiſit. *Hiſtoria.*

II. Aperuimus Cadaver, in cujus Abdomine ad dimidiam partem conſumptum Omentum reperimus: Tumidum, ac ſub-viride Jecur, necnon viridem in Cyſtide bilem: tum dentatim Lienem ex alterâ parte interſciſſum. *Inſpectio imi ventris.*

III. In Thorace Pulmo non variegatus apparuit, naturali durior, denſioriſque conſiſtentiæ, non ex viſcido humorum farcimine, ſed ex increſcente ſubſtantiâ ejus, quæ verè carnoſa videbatur, non membranea. Copioſiſſimæ, & croceæ lymphæ Cor innatabat, cujus apicem ulceroſa Hydatis corruperat. Exiguum, duriſſimumque Polypum dexter ventriculus continebat. *Inſpectio medii ventris.*

## SCHOLIUM.

IV. ACtiva vitalium humorum principia, vel depreſſa valdè in hoc Ægrotante, vel reſoluta partim fuiſſe, manifeſtum eſt; unde nulla non modò febris, ſed parvus, & rarus adfuit cum mitiſſimo calore pulſus. Terreum verò quiddam, & lentum, tum acidulos ſales, atque erodentes in liquidis fuiſſe, perſpicuum videtur ex mole ſub-viridis Jecoris, ſemi-conſumpto Omento, Hydatide Cordis ulceroſâ.

*Lentoris, & acredinis indicia.*

V. Difficilis anhelitus, quo opprimi Ægrotantis Pectus percipitur, familiare eſt Pulmonis ipſius affecti indicium. Tuſſicula verò cum pauco, & infrequenti ſcreatu ſpumoſo non multum in bronchiis humorem congeri ſignificat, ſed quandam portionem ſeri viſciduli, quod agitatum, volutatumque in bronchiis irretito paſſim aëre (veluti aquam ex diluto ſapone, aut pingue lactis ſerum verberando contingit) ſpumam efformat. At modicum illud ſeri nihil ferè eſt, ſi ad graviſſimam, conſtantemque ſpirandi difficultatem reſpiciamus, quæ majorem profectò cauſam agnoſcit. Quanquam verò interceptus animalium ſpirituum in reſpiratoria organa influxus aliquandò culpetur, frequentius tamen in re Pulmones comprimente, aut obſtruente vitium eſt, ſive illud ſit gelatinoſum aliquid firmiter cohærens, ſive gypſeum, ſive glanduloſum; atque hoc verè rariſſimum eſſe videtur, quod de excreſcente Pulmone in carneam veluti ſubſtantiam enarratur.

*Sputum ſpumoſum.*

*Difficultatis ſpirandi cauſæ variæ.*

VI. Carnoſi Pulmonis craſſiores veſiculæ, uti etiam tracheales tubuli diſtrahi à gravitate, & elatere liquidi aerei difficillimè poterant; unde

*Carnoſus pulmo multipliciter noxius.*

inſpi-

inſpirationis impotentia oriebatur. Addè, quòd pauciores fortè meatus, vel anguſtiores ad trajicienda aeris corpuſcula ſupererant; hinc longè minor ex motu reſpiratorio utilitas Ægrotanti accedebat. Eâdem de causâ ſanguinei comprimebantur canales, ſanguiniſque liber fluxus, iis anguſtioribus factis, intercipiebatur. Quamobrem in dextro forſitan ventriculo genitus fuit Polypus, quia pulmonalia vaſa ſanguinem omnem excipere à dextro ventriculo propulſum minimè poterant.

VII. Si Jecoris obſtruantur pori, humores, qui permeare deberent, occurrente obſtaculo retineri in totâ ſubſtantiâ, magnitudinemque ejus augeri, neceſſe eſt. Ex mole Hepatis auctâ, ſeu magis compactâ, & tumidâ fit, ut comprimantur, & coarctentur canales ſanguinei, & biliares, tum acini glanduloſi, ex quibus ſubſtantia viſceris conſtituta eſt; unde bilis ob impeditum ex acinis, & canalibus naturalem ad communia receptacula fluxum movetur lentiſſimè, & viſcidior evadit, & adhæret ſuperficiebus, quas attingere poteſt. Quare Hepatis ſubſtantia bilioſo recremento ſaturata ejuſdem poterit colorem exhibere. Et quanquam perpetuus minimè ſit obſtructi Jecoris bilioſo ſimilis color, tamen manifeſtum eſt, quomodo datâ Organi obſtructione illud contingat facillimè; Reverà idipſum poteſt vel in maximâ obſtructione aliter accidere: quod quidem noſtris, aliorumque obſervationibus abundè patet, dum Jecoris mirum in modum adaucta magnitudo reperitur, Jecoris, inquam, non lutei, non viridis, ſed ſubalbicantis. Supponamus, vel paucam, vel, ut in Hydropicis non raro evenit,

*Hepar obſtructum bilioſo colore poteſt facillimè inſici.*

*Quare ſubalbicans interdùm appareat.*

nit, pallidam omninò eſſe bilem, & quâcumque de cauſâ concreſcibile ſerum redundare: fiet in his hepatica obſtructio, & augebitur valdè moles ejus ob inductam fibris laxitatem: & grandeſcentis organi pallidus erit color, atque ſubalbicans.

*Diverſæ Lienis configurationes.* VIII. Figura Lienis, ut altero loco meminimus, frequentiſſimè variat; interdùm rotundam vidi, aliàs irregulariter circumſcriptam, ſæpiùs dentatam; ſemel triangularem (quod puto perrarum eſſe) deprehendi. Diviſum Hominis ſplenem in lobulos quinque Harderus invenit; ſed ità fuiſſe interſciſſum opinor, ut enatæ portiones, quas lobulos appellat, paulò profundioribus ſulcis diſtinguerentur.

# OBSERVATIO XVI.

*Pulmonis Abſceſſus. Pus in Pericardio. Cor exteriùs corruptum.*

*Hiſtoria.* I. VEgetum Juvenem acuta febris corripuit cum dolore lateris, maximâ anxietate, tuſſi, ſputo cruento, pulſu duro. Permanebat febris cum ardore ſummo, intenſiſſimâque ſiti; hinc etiam Eryſipelas in facie exortum fuit. Sanguis è venâ eductus craſsâ gelatinâ, eâque flavâ refertus erat. Decima dies Ægro fatalis extitit.

*Medii ventris inſpectio.* II. Diſruptum in parte Pulmonis ſiniſtrâ, ubi dolor aderat, ſecto Cadavere, Abſceſſum vidimus: Pleuram pariter corruptam ex adhæſione Pulmonis, notabilemque puris copiam in cavitate Thoracis. Multum quoque purulentæ materiei in Peri-

ricardio invenimus, à cujus contagio Cor exteriùs corruptum apparuit.

## SCHOLIUM.

III. INflammatio Pulmonis interdùm in totâ ſubſtantiâ fit, frequenter in aliquâ parte ejus ſuperiori, vel inferiori: laterali, vel mediâ: ſuperficiali, vel intimâ. Si in parte aliquâ non procul à ſuperficie cum magnâ ſanguinis irruptione fiat, facilè in abſceſſum tranſit, & diſrumpitur Pulmo, materiæque effuſio in cavitate Thoracis ſubſequitur. Diſtractis etenim, quantùm diſtrahi potuêrunt, interioribus membranulis, fibris, tubulis, externoque involucro: quia ſenſim major ſanguinis copia congeritur in parte inflammatâ, ibidemque turget, & nititur undequaque, evidens eſt, tumorem, ſeu abſceſſum, qui versùs continentem membranam jam multùm diſtractam, quæque ad majorem cogi amplitudinem impar eſt, vim ſemper majorem exerit, in eo loco diſrumpi ob minimam tandem reſiſtentiam debere.

*In tumore pulmonis inflammatorio quandò ejus diſruptio facilè ſequatur.*

IV. Motus præthereà reſpiratorius hanc abſceſſûs diſruptionem plurimùm adjuvat. Ac primò in Inſpiratione, quæ concitatior eſt in Peripneumonicis, cùm rapidè feratur aer in ſubſtantiam Pulmonis per innumeros canales ad ejus peripheriam tendentes; materia Abſceſſum faciens magìs magìſque urgetur versùs continentem membranam, ubi ruptionis periculum imminet. Prætereà in exſpiratione quia turgens Pulmo repentè prolabitur, materia tumoris, quaſi ſubacta prælo, urgetur, nititurque quoquoversùm, ac ſpe-

*Motus reſpiratorius pulmonici abſceſſus diſruptionem adjuvat.*

ſpeciatim in partem imbecillam, exceptâ portione ejus, quæ veſiculas, aereoſque implet tubulos; hanc enim prolapſus ipſe Pulmonis trudere aſperam versùs arteriam tuſſi adjuvante poteſt. Sed quoniam obſtare viſciditas materiei ſolet: & inſtrumentorum ad expulſionem ejus vis contractilis diminui: ideò minor dum pars expellitur, major retinetur non modò, ſed vetito aditu in Tracheam, magìs ad tumentem, laxioremque partem concuſſo per tuſſim Pulmone propellitur. Itaque patet, quibus de cauſis diſcindi involucrum, eruptionemque humoris ſequi oporteat.

V. Sed ad Obſervationem noſtram quod propiùs pertinet, non uno in loco diſruptam fuiſſe membranam Pulmonis, opinor. Fortè ad concavam ejus partem impetum quoque fecit cumulata materies, factaque eſt pars ipſa concava Pericardio contigua, atque cohærens, ut convexa viſa eſt Pleuræ cohærere. Sic à putrido cruore maceratum, atque exeſum Pericardium aditum eidem in ſuam cavitatem præbuit. Neque aliter fuiſſe puris copiam ibi collectam arbitror, quæ Cordis quoque ſuperficiem corruperat.

*Collectio puris in pericardio unde derivari potuerit.*

# OBSERVATIO XVII.

*Cor vulneratum.*

*Hiſtoria morbi, & inſpectio thoracis.*

I. APeriebamus Militis Cadaver, cujus in Thoracem altè inflictum vulnus fuerat. Peracutus, ac tenuis gladius Sternum perforaverat, vulnere leviter attingente ſiniſtrum Cordis ventriculum, & in dextrum penetrante. Vixerat xvij. dies, ſinguliſque ferè diebus libra

bra ſanguinis è vulnere educebatur. Nihil intereà ſanguinis, aut puris repertum eſt in Pericardio; tantùm labes aliqua Cordis apparuit, & in ventriculis Polypi continebantur. Hoc inſuper meminimus, quòd cubare dextrorsùm Miles non poterat.

## *SCHOLIUM.*

II. IN quacunque parte Cor leviter vulneretur, concipi ſatis poteſt, quomodò in diaſtole vix ullus ſanguis valeat per exiguum vulnus egredi, quia ſtatim Cor contrahitur. Sed evidens eſt, quòd per quodcunque datum vulnus debet in ſyſtole ſanguis effluere. Effluet autem magìs ſi vulnus ſit in cono, quàm in medio parietum, & in medio parietum magìs, quàm lateraliter in baſi.

*Corde leviter vulnerato, effluet ſanguis in ſyſtole, ſed vix ullus in diaſtole.*

III. Quoniam enim in ſyſtole Cordis omnis caro ejus inflatur, & unius lateris paries nititur in parietem alterius lateris: ex hoc mutuo niſu fit, ut ſanguinis motus in neutrum ex oppoſitis parietibus determinetur; nam quilibet paries rationem habet potentiæ, & reſiſtentiæ. Et quia Cordis machina ad conicum tubum reducitur, ità in contractione ejus ſanguis recipit directionem motûs versùs utrumque extremum; Sed inferius extremum impervium eſt; itaque directio omnis ad ſuperius convertitur.

*In ſyſtole directio motus ſanguinis tota ad baſim convertitur.*

IV. Modò ſupponamus Cor in apice vulnerari; Erit igitur Cor in utroque extremo pervium; ideòque effluet etiam ſanguis ex inferioris extremi orificio, ſeu vulnere juxta proportionem vulneris, & æquali proportionaliter velocitate, quâ

*Vulnerato apice cordis effluet ibi ſanguis, ut ad baſis centrum proportionaliter.*

per

per ſuperius extremum naturaliter pervium emittitur.

*Effluet minùs è vulnerato pariete, quàm apice.*

V. Hinc patet, quòd vulnerato uno Cordis pariete circa medium, minor, quàm à vulnerato cono ſanguinis effluet quantitas: quia in contractione Cordis directio motûs ſanguinis fit versùs duo Cordis extrema propter mutuum niſum parietum: eademque ſervatur directio, perforato pariete, ex quo fluere ſpeciatim poteſt liquidi portio, prout à parte parietis oppoſitâ parieti vulnerato truditur; nam ubi vulnus eſt, ibi deeſt potentia liquidum impellens, & reſiſtentia adversùs impetum illius, quod truditur à parte alterius parietis oppoſitâ vulneri.

*Et à baſi lateraliter etiam minùs, quàm à pariete.*

VI. Denique ſupponamus, Cordis baſim lateraliter vulnerari: quia Cordis caro ad baſim gracileſcit, ibique ampli ſunt ventriculi; igitur in ſyſtole contractio carnis, quæ circa baſim eſt, minorem vim habet: propterea parem nequit impetum ſanguini imprimere, ut trajici per datum vulnus vehementer, & copioſè valeat. Accedit quòd ſanguis protruſus à totâ mole carneâ Cordis versùs baſis centrum, infringit impetum ſanguinis, qui nititur in locum vulneris lateralem; unde exigua tantùm quantitas liquoris, & cum minori impetu per vulnus egrederetur, quia totus ſanguis recipit directionem motûs à cono versùs mediam baſim directè ad vaſa.

*Aliam ob cauſam minùs effluebat è vulneratâ baſi in noſtro caſu.*

VII. In caſu enarrato non ſolùm vulnus ad Cordis baſim, ſed ad angulum, qui eſt inter Septum & ſiniſtri parietem ventriculi, ſupponitur; Conſtat enim ex Narratione, quòd vulnus leviter ſiniſtrum ventriculum attigerat; Ex quo fit, quòd in ſyſtole caro parietis, & caro ſepti,

quæ

quæ angulum efformant, invicem accedant ob utriuſque turgentiam, efficiantque anguſtius vulneris orificium; unde hâc etiam de causâ minori copiâ, & impetu effluit ſanguis è vulnere versùs baſim Cordis in caſu expoſito, quàm ad medium, & apicem ejus effluerET.

VIII. Cùm ad diem uſque decimam ſeptimam vulneratus Miles vitam perduxerit, & libra ſanguinis diebus ferè ſingulis è vulnere educeretur: cùmque ad parcius alimentum attendamus, quod vulneratis ſolet imperari, perſpicere ſatis poſſumus, minùs ex vulneris vi, quàm quia exſanguis jam penè eſſet, Hominem periiſſe. Unde colligimus, non adeò mortiferas eſſe ſimplices Cordis læſiones, ut Priſci ſtatuerunt: neque omninò incredibile illud eſſe, quod de cicatrice Cordis ex veteri vulnuſculo in Cadaveribus deprehensâ Scriptores quidam memoriæ tradiderunt.

*Simplex cordis vulnus nõ adeò mortiferum cenſeri debet.*

IX. Sed cùm de ſaucio Pericardio, & Corde conſtiterit, deque quotidianâ ſanguinis ad eam menſuram rejectione; quòd nihil ſanguinis, nihilque puris in Pericardii cavitate repertum ſit, incredibile videtur. Tamen animadverto, vulnus fuiſſe in ſiniſtram Sterni partem inflictum oportere: alioquin ingredi gladii cuſpis vel leviſſimè in ſiniſtrum, & poſteà trajecto Cordis ſepto in dextrum ventriculum minimè potuiſſet; hæc enim manifeſta eſt obliquè ferientis gladii directio. Rursùs obſervo, ut ex Hiſtoriâ conſtat, quòd ad dextrum cubare latus minimè Ægrotanti licebat; Igitur ex aſſiduo in ſiniſtrum decubitu factam fuiſſe conjicio Pericardii cum Cordis membranâ cohæſionem: quemadmodùm accidere in vulneribus Ventrium nonnunquam ſcimus, ut vel Omen-

*Vulnerato pericardio, & corde, cur nihil ſanguinis, nihilque puris in capſulâ fuerit repertum.*

tum, vel Inteſtinum, vel Pulmo, cum Peritonæo, aut Pleurâ coaleſcat. Hoc poſito, defluentem in cavitatem Pericardii modicum primò ſanguinem, permiſtumque cum ejus lymphâ, & ab eâ dilutum vacuari jacente Ægro ad ſauciam partem potuiſſe, deindèque coalitum membranarum fuiſſe ſubſequutum, concipio.

# OBSERVATIO XVIII.

*Colon in hypogaſtrium devolutum. Biliaris veſiculæ magnitudo.*

*Hiſtoria.* I. HOminem hernioſum ex Epiplocele febris corripuit cum vomitu vehementi. Languebat, exurebatur ſiti, ventris doloribus vexabatur. Admitti clyſteres difficillimè poterant, nullo modo retineri. Quæcunque exhibebantur, nec vomitum compeſcere, nec tormina lenire, nec aperire alvum potuerunt. Extrema denique refrigerari, formicantes arteriæ fieri, Ægro ſenſim moriente, cœperunt.

*Inſpectio ventris infimi.* II. In Cadavere obſervavimus, inteſtinum Colon à naturali ſitu receſſiſſe, diductum ſcilicet in hypogaſtrium à mole auctâ Omenti, quod à ventriculo ſeceſſerat, & in Scrotum prolapſum, arctiſſimèque ei adhærendo amplam cavitatem implebat. Inteſtina omnia phlogoſi affecta conſpiciebantur. Quiddam præthereà curioſiſſimum animadvertimus, veſiculam Bilis turgidiſſimam, quæ Inteſtini molem æmulabatur. Eximimus Hepar, notavimuſque, ab incluſo intrà tunicas flatu tam mirè expanſam fuiſſe; nam leviter perforatâ exteriori tunicâ tota illicò Cyſtis concidit, integrâ

re-

remanente interiori membranâ . In cyſtico meatu fibroſum anulum Gliſſonii vidimus.

## SCHOLIUM.

III. MAnifeſtum eſt, quòd poſito ſitu memorato inteſtini Coli, difficilis eſſe debebat excrementorum motus in Colo, & à Colo ad Rectum. Naturalis quippè diſpoſitio Coli talis eſt, ut celerem excrementorum motum, & tranſitum ad Rectum cohibeat, quia, præter artificium cellularum, magni tanquam ſegmentum circuli ſub ventriculo eſt convolutum. Igitur quò magìs augetur, aut renovatur convolutio, eò difficilior contentorum motus ſuccedit. Triplex in caſu noſtro tortuoſitas Coli conſideranda venit: una versùs Ileum, altera versùs Rectum, tertia in Hypogaſtrio; Hæc minoris eſſe momenti videtur, quia convenit cum naturali curvaturâ inteſtini ad Epigaſtrium; Sed dato deſcenſu Coli in Hypogaſtrium, declivior efficit poſitura, ut portio ejus tam versùs Ileum, quàm Rectum tortuoſa, & eminens fiat, & machinæ Pylori quodammodò ſimilis. Quare utriuſque reſiſtentiam curvaturæ arduum non eſt per conjecturam metiri. *Ex inteſtino colo in hypogaſtrium devoluto, quid ſequatur.*

IV. Facilè hinc colligitur, quo genere ærumnarum vexatus victitare dudùm Hernioſus debuerat. Lethalia interim ſymptomata ab Inteſtinorum inflammatione petenda eſſe, ſatis apparet; quanquam inflammationi occaſionem & Omenti, & Inteſtini ſtatus potuit præbere, & ſymptomatibus incrementi rationem.

V. De Hydrope Cyſtidis aſcitico jam meminimus; hunc dicamus tympaniticum, quem nos *Hydrops cyſtidis tympaniticus.*

quidem rariorem eſſe cenſemus; Tamen humor initio aliquis contiguas, cohærenteſque ſejunxit tunicas: hinc flatus erumpens in tantum tumorem extulit exteriorem membranam, quam aliàs diſtractam, extenſamque à fluido partim ſero, partim gelatinoſo reperimus.

# OBSERVATIO XIX.

*Dexter Cordis ventriculus grandior. Ingens in illo Polypus.*

*Hiſtoria.* I. ADoleſcens gravi Peripneumoniâ, dum hyems erat, laboravit. Opportunis præſidiis, ſpeciatim ſanguinis miſſionibus prudenter iteratis, & ſpecificis ſanguineum coagulum ſolventibus acuta ægritudo ſublata eſt. Supererat viſcidi ſeri in Pulmones fluxio, quæ pluribus menſibus, Ægro ſenſim ad Cachexiam vergente, perſeveravit. Non diù cachecticus victitavit, nam Hydrope univerſali ſuperveniente decem, aut duodecim dierum ſpatio ſinè manifeſto pulſu, cum difficillimâ reſpiratione vitæ finem implevit.

*Pectoris inſpectio.* II. Diſſecto Cadavere in conſpectum veniebat dexter Cordis ventriculus naturali longè amplior. Ingens Polypus plurimis appendiculis inter ventriculi ſulcos irretitis orificia vaſorum corpore ſuo penè obturabat.

## SCHOLIUM.

III. QUoniam ſanguis, qui à ſiniſtro Cordis ventriculo truditur in arterias, mittitur-

turque in univerſum Corpus, debet reſiſtentiam naturalis arteriarum contractionis, gravitatem, compreſſionem, tenſionemque reliquarum partium ſuperare: neceſſe eſt, ut talem impetum à Corde recipiat, qui ejuſmodi impedimenta vincere valeat. Sanguis autem, qui à dextro Cordis ventriculo in Pulmonem truditur, multò minorem ſuperare debet reſiſtentiam, ut manifeſtum eſt; unde minorem Cordis vim impulſivam exigit. Igitur patet ratio differentiæ ventriculorum, quòd ſcilicet ſiniſter dextro plurimùm craſſior ſit, ſeu multâ carne roboretur, quæ ad majorem contractionis vim requiritur.

*Ventriculorum cordis cur inæquales ſint vires.*

IV. Nunc quoniam parietum dextri ventriculi vis contractionis minor eſt vi parietum ſiniſtri, minorique cum impetu ſanguis à dextro emittitur, quàm à ſiniſtro: poterit ejuſdem portio, dum cor contrahitur, in eo faciliùs, quàm in hoc ſinu morari, ibidemque glutinis, ac Polypi tandem naturam contrahere. Accedit aptitudo ſanguinis ad concreſcendum in dextro ventriculo, ſanguinis à cavâ venientis, qui craſſior, & iners eſt: cùm vividus, & tenuis à pulmonali venâ in ſiniſtrum ſinum revertatur. Inſuper quia majores arteriæ perraro obſtruuntur, & multiplicia habent emiſſaria: ideò etiamſi aliquod ex his obſtructione afficiatur, nihilominùs in reliqua ſatis ſuperque liquidum derivatur; unde majores arteriæ, quæ ſanguinem immediatè à Corde recipiunt, ſemper ſunt paratæ ad recipiendum ſanguinem quâlibet ſyſtole propulſum: rariſſimumque eſt, quòd in ſyſtole nequeat à ſiniſtro ventriculo ferè totus excludi. Sed quia à dextro Cordis ſinu mittitur tantùm in Pulmonem per arteriam pulmona-

*Polypi in dextro cordis ventriculo facilè generãtur præſertim pulmone affecto.*

nalem, tanquam per unicum emiſſarium; occurrente igitur in Pulmone, vel in emiſſario reſiſtentiâ, non poterit ſanguis in quâlibet ſyſtole à dextro ventriculo protruſus, magnâ ex parte expelli; ideòque portio ejus major, vel minor, juxta proportionem ſpatii deficientis in canalibus, & receptaculis, in dextro remanebit ventriculo, factâque in eo longiori morâ facillimè poterit in Polypum concreſcere. Quare patet, in pulmonicis affectibus nullo negotio polypoſas concretiones in dextro potiſſimùm ventriculo generari.

*Æger cur multos dies victitaverit ſinè ſenſibili pulſu.*

V. Ex magnitudine, & Polypi formâ evidens ratio eſt, cur multorum ſpatio dierum ſinè manifeſto pulſu Æger victitaverit. Cùm enim magnorum orificia vaſorum jam penè eſſent à Polypo obturata, modicum ſanguinis trajiciebatur per Cordis ſinus, & modicum in quâlibet ſyſtole in arterias propellebatur. Hæc autem exigua portio projecti liquidi languente Cordis energiâ vix poterat extremos ſic diſtrahere arterioſos tubulos, ut ipſorum elevatio ad tangentis digitum ſenſibiliter veniret. Multi ad hunc ſtatum pervenientes illicò moriuntur, aliqui lentè morientes victitant diù. Cauſam in liquido nervoſo magìs, vel minùs fugaci, carnearumque fibrarum minori, majorive robore, & perſpirabilitate quærendam eſſe, opinor.

OB-

# OBSERVATIO XX.

*Meſenterium ad ſpinam retractum. Bilis inſtar liquidæ picis in Cyſtide. Vaſa Cerebri turgida. Subſtantia medullaris, Medullaque Oblongata duriſſima.*

I. INfans carnoſi habitûs, Capitis parvi, primò levibus, hinc validis convulſionibus corripiebatur. Purgatus fuit, & leviùs ferre morbum à purgatione videbatur. Adhibitis etiam remediis volatilibus, & oleoſis rectiùs ſe habebat. Tandem ſuperveniente inſultu validiſſimo præcipitem mortem obivit. *Hiſtoria.*

II. Aperto Cadavere Inteſtina flatibus extenſa, & ad vertebras retracta videbamus. Pauca aderat bilis in Cyſtide, eaque coloris, & conſiſtentiæ inſtar liquidæ picis. In Cerebro vaſa ſanguine turgida apparuere, excepto choroideo plexu prorsùs inani. Subſtantia medullaris, & Oblongata Medulla duriſſima erat. *Abdominis, & Capitis inſpectio.*

## *SCHOLIUM.*

III. MEſenterium in Homine ex duplicato Peritonæo, interjectâque peculiari membranâ componitur. Hæc carnearum ope fibrarum vim ſe contrahendi obtinuit. Et quia copioſis meſenterium nerveis plexibus, & ramulis gaudet, ideò in convulſivis affectibus violentam pati contractionem poſſe videtur. *Meſenterii convulſio.*

IV. Pauca aderat bilis in Cyſtide, vel quia viſcidior parcè ſegregabatur in Jecore, vel in convul- *Cur pauca in cyſtide bilis.*

vulſivis inſultibus portio ejus in duodenum fuit expreſſa. Inſuper ex conſiſtentiâ, & colore inſolens quiddam, & ferinum licet in eâ ſtatuere; quamobrem excitari affectio (quod facilè in Infantibus evenit) convulſiva potuit. Nos equidem cum Lanciſio Eruditiſſimo arbitramur, vitium bilis in Cyſtide radicem nonnullorum etiam gravium eſſe malorum, ut ii minimè negaverint, qui Cadaverum ſectionibus aſſueti alterationes varias, quæ bili in veſiculâ, ipſique veſiculæ accidunt, frequenter animadvertunt. Rariſſima profectò illa eſt, quam de albicante exteriùs Cyſtide habet Lanciſius; hâc enim apertâ, non bilem, ſed verum pus contineri, adnotavit, ſimulque variis laceram ulcuſculis interiorem tunicam reperit. Ut à lotii remorâ, ac vitiatâ indole oriri morbos Veſicæ interdùm, ſcimus, ita in bilem refundi analogæ Cyſtidis affectiones veriſimiliter poſſunt. Supervacuum eſt ærumnarum ſeriem, quæ ex urinariæ Veſicæ morbis contingunt, hìc enarrare; tamen veſica inutilis humoris receptaculum, procul omninò eſt à principum partium commercio. Sed felleæ Cyſtidis cum Hepate, bilis cum Inteſtinis, cum chylo, cum ſanguine commercium planè evincit longè majus animali œconomiæ ex harum vitio, quàm ex urinæ, ac Veſicæ affectionibus detrimentum inferri.

*Ex bilis in cyſtide, tum cyſtidis ipſius vitio morbi varii.*

*Pulchra Obſerv. D. Lanciſii de ulceroſâ cyſtide.*

V. Frequenter Cerebri vaſa ſanguine turgidiſſima obſervari, ſpeciatim in affectibus Capitis, vulgatiſſimum eſt, cùm tamen plexus choroides inanis aliquandò appareat. Ratio eſſe videtur, quòd turgentia in Cortice potiſſimùm vaſa ſint magnâ ex parte venoſa, choroideum verò plexum conſtituentia plurima ſint arterioſa; Notum

*In plexu choroideo cur vaſa non turgeant, iis interdùm turgentibus in cortice cerebri.*

tum eſt autem, multò majorem liquidi copiam in venis ſemper reperiri, quàm in arteriis; quia venarum major eſt numerus, & amplior diameter: arteriæque multò magìs, quàm venæ, contractiles ſunt, ideòque in venas facillimè extenſiles omnem ferè ſanguinem exprimunt. Ac in iis quidem, qui convulſi moriuntur, majorem adhuc ſanguinis copiam à vehementi partium contractione propelli in venoſos canales oportet.

VI. Cùm partium in Infantibus adeò ſpectabilis ſit mollities, medullam Cerebri duriſſimam fuiſſe repertam, inſolens ſanè eſt. Quantæ ſint epilepticæ vires, hìc maximè patet. Quoniam convulſivam contractionem unis tantùm carneis fibris adſcribimus, de ipsâ Cerebri medullâ, deque Oblongatâ, ut appellari ſolet, tam densâ, tam durâ, veluti contractâ, atque convulsâ aliquid erit nobis verbo dicendum. A Cerebri cortice in medullares fiſtulas intruſum quidquam heterogeneum, aut nimis elaſticum effingamus, quo ipſæ impleantur, & turgeant, & in vehementi tenſione ſimul omnes manere cogantur; ſic denſitas, duritieſque Medullæ conciliabitur. Sed in Cadavere, inquies, idipſum cur remanet? cur ſecta non molleſcit medulla? Ut fruſtula Cordis ex Animalculo reſecti, non evadente liquido elaſtico, diù contrahuntur: ita in diſſectâ Medullâ vim tenſivam ſupereſſe, parùm abſimili ratione dixerimus. Cæterùm nos conjecturas venditamus: Alii meliora.

*Medullaris cerebri ſubſtantiæ, & oblongatæ medullæ denſitas, & durities.*

H OB-

# OBSERVATIO XXI.

*Magnum Hepar. Tumor in parte gibbâ. Cyſtis fellea inanis.*

*Hiſtoria.*

I. EXcellentiſſimus Dominus ætatis conſiſtentis, lacertoſi habitûs, vinis meracioribus valdè deditus incidit in febrem erraticam, quæ ad menſes quatuor perducta eſt cum aliquâ tuſſiculâ. Intereà de dolore ad infimam Sterni partem, & ad utrumque hypochondrium conquerebatur. Poſtremis vitæ diebus fluxum alvi importunum habuit, ac tandem viribus reſolutis defecit.

*Inſpectio ventris infimi.*

II. In Cadavere ventrem primò conſpiciebamus infra epigaſtricam regionem omninò depreſſum cum notabili carnoſarum in toto Corpore partium macie; Adipoſa tamen Abdominis membrana non pauco adipe referta erat, ſed Omentum valdè conſumptum. Magni Hepatis lobus anterior in ſiniſtrum Hypochondrium protendebatur. Ecce Tumorem pars gibba gerit, inſignem Tumorem, quo aperto, glutinoſi puris, & ſubcruenti ingens effluit copia. Inanem Cyſtim, inſolitamque tunicarum craſſitudinem miramur.

## *SCHOLIUM.*

*Dolor ad infimam ſterni partem, & ad utrumque hypochondrium.*

III. TAnta continui ſolutio, tantuſque effuſus in gibbâ Hepatis parte humor fermenteſcens, & corruptus doloris cauſam in dextro Hypochondrio ſatis ſuperque demonſtrat. Et quoniam ingens Tumor in eâ parte conſtitutus ſiniſtram versùs regionem Abdominis hepaticam molem

lem urgebat: ideò per vim diſtrahi ligamenta debebant; ſic ad imum Sternum ratio doloris manifeſta eſt. In ſiniſtro autem Hypochondrio grandior Hepatis lobus cùm ventriculum, & Lienem aſſiduo premitu vexaret, nil mirum, ſi Æger ob inſuetam ponderis moleſtiam dolorem quoque percipiebat.

IV. Folliculati Tumoris ad poſticam Jecoris partem, quâ Septo tranſverſo annectitur, Præclariſſimus Lanciſius meminit. Hunc æruginosâ veluti argillâ plenum offendit, cujus coloris labem contiguum Diaphragma contraxerat; Ex quo ſiccam tuſſim, quâ Patiens tenebatur, profectam exiſtimavit. In caſu noſtro illatum quoque contagium ex putridâ Tumoris materiâ, ſubindèque exortam fuiſſe tuſſiculam, crediderim.

*Tuſſicula ab hepatis tumore, &c. ex Obſ. D. Lanciſii.*

V. Hìc etiam loci commemoranda nobis videtur Blanci noſtri Solertiſſimi Obſervatio, quam ipſe retulit in Libro ſuo de Hepatis Hiſtoriâ inſcripto: de magno, inquam, Abſceſſu Obſervatio in parte Jecoris gibbâ, qui ante Ægrotantis obitum vi morbi diſruptus fuerat. Tumor erat Meliceridi ſimilis, qualem, aperto Cadavere, ex indole effuſi humoris eſſe, cognovit. Hoc mirabile viſum eſt: finitimo Diaphragmate eroſo, dextrum Thoracis latus purulenta materies impleverat.

*Hepaticæ meliceridis eroſo diaphragmate in thoracem effuſio: ex Obſerv. D. Blanci.*

VI. Vacuam Cyſtim Obſervatio noſtra enarrat: quod de imminutâ ſecretione bilis in depravato Organo haud leve dubium inſinuat. Tunicarum craſſitudinem, quia inanis erat Veſicula, ex earum corrugatione apparuiſſe, cenſerem. Unde etiam ſuſpicari fas eſt, non ità recens exhauſtam fuiſſe Cyſtim, ſed ante obitum pau-

*Vacua cyſtis: craſſitudo tunicarum.*

cam defluere bilem in receptaculum ſuum conſueviſſe.

*Carnoſarum partium, & pinguium non eadem in omnibus conſiſtẽtia, non idem robur.*

VII. Muſcularium partium in conſiſtentiâ, & robore quanta ſit in humanis Corporibus varietas, neminem latere puto. Graves equidem ægritudines vix diminutâ earum mole quoſdam Homines ſuſtinere, videmus, dum alii penitùs contabeſcunt. Eadem Pinguedinis eſt ratio, quæ in his firmior, in aliis mollior eſt, facillimèque liquabilis. Sed in eodem quoque Homine plurimum diſcriminis pinguium eſſe partium, conſtat.

*Adeps omenti cæteris mollior, facilèque liquabilis, & quem ob finem.*

Ità Omentum pinguiſſimam Corporis partem nullo negotio extenuari, cùm aliarum pinguedo cedere rariùs ſoleat, advertimus. Quoniam adipis in Omento uſus veriſimiliter major, quàm in cæteris partibus, atque præſtantior eſt (videntur enim ſolutæ ejus moleculæ Inteſtina oblinire, ſanguinique in Portæ venâ admiſceri) ideò molliorem eſſe, aptioremque ad liqueſcendum oportuit.

*Omentum perſæpè conſumptum in cadaveribus reperitur.*

Non itaque mirum eſt, ſi conſumptum in ſectionibus Cadaverum perſæpè Omentum reperiatur, pinguedine alibi ſuperſtite; Molleſcit pinguedo omnis in morbis, & partim liqueſcit; tamen in cavitate Ventris à calidioribus halitibus, vel ſimul acrioribus Epiploicam magìs diſſolvi, neceſſe eſt. Illud quidem in Hiſtoriâ noſtrâ admirabile videtur, quòd immutata parùm Abdominis membrana adipoſa ſupererat, habito carnearum totius Corporis partium marcore.

# OBSERVATIO XXII.

*Parvus Pulmo. Siccum Pericardium Cordi contiguum. Cor maximum plurimis ulcuſculis in ambitu ſuo alteratum.*

I. VIr ſtrigoſi habitûs cœpit conqueri de Palpitatione Cordis, quæ intrà Menſem mitior parùm facta, poſteà increbuit. Res eò pervenit, ut ſonitus ad multum ſpatium audiretur, & vibrationis impetus in Thorace conſpiceretur. Pulſus ſemper æqualis fuit, aliquandò durus, & magnus, aliàs parvus, & ultimis ſpeciatim menſibus celer. Spirandi difficultas cum maximâ anxietate aderat. Dolor in Sterno, & Xiphoide cartilagine continuus; nec in latera poterat, neque in dorſum miſer cubare. Denique periodicas præfocationes patiebatur, quarum quatuor, aut quinque intrà biennium graviſſimæ fuerunt. *Hiſtoria.*

II. Æger hiſce ærumnis duos & ultra annos vexatus, lento demùm languore confectus eſt. Cœperunt externæ partes refrigerari, mox frigidi erumpebant ſudores, paulatimque pulſus recedebat, qui poſtremis vitæ horulis percipi non poterat, Corde adhuc languidiſſimè palpitante.

III. Morbi cauſam ſcrutari curioſâ inſpectione decrevimus. Itaque perluſtrato celeriter Abdomine, aperiri Thoracem, juſſimus. Occurrebat flaccidus, dimidiâque parte naturali minor Pulmo. Pericardium Cordi contiguum ſinè ſero invenimus. Cor autem mole maximum, ac verè monſtroſum ſeſe obtulit, plurimiſque ulcuſculis in ambitu ſuo exeſum. Auricula dextra varicoſa *Inſpectio Cadaveris.*

ma-

magnum Polypum continebat. Dextro ventriculo alter inerat Polypus, & alter ſiniſtro.

## SCHOLIUM.

*Nullus in pericardio humor.*

IV. Quoniam Cor mole maximum erat, ideò Pericardio factum eſt contiguum. Et quia nullum in Capſulâ ſpatium inane ſupererat ob perfectam ejus cum Corde contiguitatem, ità nullus in cavitate liquor apparuit. Pretereà Cor non ſolùm omne illud ſpatium occupavit, ſed ipſius moles enormiter adaucta violenter dilatavit Pericardium, cujus nimia diſtractio in conſenſum traxit Mediaſtinum, à quo externa Capſulæ membrana propagatur; hinc dolor in Sterno, & circa Xiphoidem cartilaginem ſequutus eſt. Membranarum diſtractioni accedebat crebra, atque vehementiſſima Cordis pulſatio, ex quâ ferè aſſidua illarum concuſſio excitabatur, altera pertinacis doloris cauſa.

*Dolor in ſterno, & circa xiphoidem cartilaginem.*

*Difficilis in lateribus, & dorſo decubitus.*

V. Ob eandem Cordis magnitudinem notabiliter adauctam difficilis eſſe debebat Ægri in utrumque latus, & ſupra dorſum decubitus; quoniam ad latera decumbente Ægro, maximam patiebatur Pulmo ab ingenti pondere Cordis compreſſionem: ſupra dorſum verò jacente, tota moles ponderoſa Cordis magnam ſuper arteriam, venamque cavam gravitabat; unde inquietudo & anxietas Ægri in eo decubitu ſequebatur.

VI. Porrò ratione molis inſolitæ Cordis magnam Thoracis partem occupantis Pulmo dilatari ſatis non poterat in Inſpiratione ob anguſtiam ſpatii in cavitate, & aliquam à Cordis mole compreſſionem nullo non tempore patiebatur; unde

liber

liber fluxus liquidorum in ſubſtantiâ ejus haberi minimè valebat; hinc neceſſe erat, ut paulatim Pulmo flacceſceret, & conſumeretur. *Flaccidus, & parvus pulmo.*

VII. Ulcera in ſuperficie Cordis reperta oſtendunt veram cauſam horrendæ palpitationis; quoniam à vehementi, & importunâ irritatione in Cordis villis factâ caro ejus ad violentam, frequentemque contractionem ſtimulabatur. Oriri autem primò potuit levior palpitatio ab acriori lymphâ Pericardii: tum eroſiones Cordis ab eâdem quoque excitari potuerunt. Seroſo latici corroſivam induci qualitatem in ſtrigoſi habitûs homine, familiare eſt; Quare aquam Pericardii hoc vitio inquinari haud difficilè poſſe videtur. *Palpitationis cordis cauſa.*

VIII. Obſervata Pulsûs æqualitas, eaque permanens, res equidem eſt, quam mirari ſatis nequeo in tanto Cordis vitio, præſertim quum polypoſæ etiam concretiones in ventriculis continerentur. Polypos autem multos, grandioreſque fuiſſe repertos, minimè mirum eſt, qui ultimis potiſſimùm Menſibus, dum parvus, frequens, velox erat pulſus, efformari, aut multùm augeri potuerunt; In hiſce enim jactationibus Cordis non totus è ventriculis ſanguis qualibet ſyſtole expellitur; unde ex ſuperſtite ſenſim cruore concretiones excitantur. Sed valdè ampliatis in magno Corde ventriculis, luculentiùs patet, produci polypos debere; Nam licèt Cor vehementiſſimè in contractionem veniat, carnes parietum ſatis invicem accedere ad totum ſanguinem propellendum minimè valent. *Quâ occaſione facilis polyporum generatio.*

IX. Auriculam dextram amplam, & varicoſam ſanguis ipſe effecit, qui, cùm debitâ quantitate immitti in dextrum ventriculum non valeret, quo *Amplitudo dextræ auriculæ à quâ causâ.*

tem-

tempore ſumma erat celeritas, & frequentia pulſationum Cordis, retentus, cumulatuſque eandem diſtendebat; hinc à longiori ſanguinis morâ grandior Polypus efformatus eſt. Sed clariſſimè iterùm poteſt Polyporum generatio, vel incrementum tam in ſinibus Cordis, quàm in auriculâ, ſimulque auriculæ amplitudo eâdem ratione explicari, ſi ad Ægrotantis ſtatum poſtremis vitæ horis reſpiciamus, in quò percipi pulſus non poterat, Corde adhuc languidiſſimè palpitante.

# OBSERVATIO XXIII.

*Diaphragmatis diſruptio. Ventriculi in Thoracem aſcenſus.*

*Hiſtoria.*

I. GRacilis habitûs Adoleſcens ante annum in Epigaſtrio vulnus recepit. Ab eo tempore doloribus ventris occaſione pravi victûs fuit obnoxius. Cœpit intereà de dolore acriùs conqueri, cui pertinax vomitus, & vehemens ſupervenit. Multa Medici magno ſtudio, conſilioque præſcripſerunt; ſed gravitas, & inſolentia morbi genus omne præſidiorum eluſit; quin fæculenti quidquam poſtremò Ægrum vomuiſſe, narrabant.

*Infimi, & medii ventris inſpectio.*

II. Cadaveri inſpiciendo vocatus rubicunda Inteſtina, felleamque Cyſtim atro humore turgentem vidi. Diſruptum, res mira! ubi tranſitum Œſophago præbet, Diaphragma erat. Ventriculus cum portione Omenti in Thoracem aſcenderat.

SCHO-

## SCHOLIUM.

III. VEriſimile eſt, quòd inflictum vulnus in Epigaſtrii regionem, Ventriculum attigerit, inductâque extimæ ſaltèm tunicæ qualicunque cicatrice, ſuperfuerit ſtimulus, qui datâ levi occaſione, vomendi neceſſitatem fecerit. Multiplex hic eſſe ſtimulus poteſt: Vel ſpirituum motus inordinatus, qui in reſciſſis partibus nervoſis diutiùs aliquandò permanet; Videmus, brachio, vel crure reſecto dolorificam paſſionem interdùm ſupereſſe, quæ à morbo producebatur antequàm pars reſcinderetur: Vel acris humor ex imperfectâ cicatrice tranſudans, & vellicans nerveas fibrillas; Vel etiam mala cicatricis conformatio, ut ſi aliquot nervoſæ laxiùs fibrillæ uniantur, aliæ ſtrictiùs; unde inæqualitas motûs illarum, animalibus moleſta ſpiritibus, ſequitur, quorum influxum naturali majorem, atque irregularem promovendo, poteſt vomitum ſimul excitare.

*Ex inductâ ventriculi tunicæ cicatrice vomitus excitari poteſt, & quomodò.*

IV. Diaphragma non, ut olim putarunt Anatomici, in nerveâ parte ab Œſophago trajicitur, ſed carneâ, quæ ſejunctâ hinc indè mole fibrarum tranſitum eidem concedit. Ex duplici enim muſculo Tranſverſum Septum componitur. Nunc de anteriori nihil ad nos pertinet. Poſterior ex duobus carnoſis cruribus conſtat, per quorum medium ſpatium Œſophagus traducitur. Geminos hoſce muſculares lacertos diduci ab invicem ſatis eſt, laxari, diſſociarique angulares eorum coalitus, vel etiam paululùm cum membranoſis vinculis diſcerpi, ut contracti violenter Ventriculi, & impetum facientis in meatum Diapragmatis, aſcenſum in Thoracem permittant. Notum eſt,

*Quomodò diaphragma ab œſophago trajiciatur.*

*Ventriculi in Thoracem aſcenſus.*

ventriculi in amplitudine ſuâ poſiti magnam eſſe molem, & ingens in Epigaſtrio ſpatium occupare, ſed validiùs contracti ad minimam poſſe reduci. Vidi Hominis Ventriculum adeò contractum, ut dimidii vix pugni magnitudinem ſuperaret. Patet etiam ſummum in dimenſione multarum partium diſcrimen, dum contractæ ſunt, vel expanſæ; ſed diſcrimen illud in urinariâ Veſicâ luculentius eſt, & à nemine non obſervatum.

*Humor nigricans in cyſtide.*

V. Ater humor in Cyſtide turgens de bile ferinâ conjecturam facit, quæ dolores, & vomitus ſimul potuit concitare. Sed tanti prodigii cauſa referri ad unam bilem proritantem non poſſe videtur; Quamobrem ad ſuperſtes in Ventriculo vitium juvat reverti. Si laxitatem à naturâ quandam in altero Diaphragmatis muſculo, quem aditum Œſophago præbere, dicebamus, admittere libeat, per me ſanè licebit; ſic erunt omnia explicatu faciliima.

*De laxitate alterius muſculi diaphragmatis conjectura.*

*Cadaverum inſpectiones diligentiſſimè ſunt inſtituendæ.*

VI. Modò ex his colligo, nihil in Cadaverum inſpectione prætereundum eſſe. Plurima ſæpè rem valent obſcuriſſimam elucidare, quæ negligi conſueverunt. Sed quæ ad unum aliquod ſpecialiter pertinent, curioſiſſimè ſunt inquirenda; Quanquam aliquandò præſtare idipſum vix liceat, ſive ob tetros halitus Cadaverum, ſive ob Familiarium moleſtiam, ſive etiam ob Aſſiſtentium impatientiam, & feſtinationem. Ventriculi ſtatus in expoſitâ Hiſtoriâ diligentiſſimè indagandus fuit, tum Septi Tranſverſi, quo loco Ventriculus in Thoracem aſcenderat, obſervanda erat conditio. Equidem indagatio hæc à Parente meo fieri propter impedimenta non potuit; ſolertiam ejus (quod mihi fas ſit dicere) fugere vix potuit.

OB-

# OBSERVATIO XXIV.

*Moles Hepatis maxima. Cyſtis ampla, & turgida. Ventriculus in Regione umbilicali. Lien valdè puſillus.*

I. REligioſus ſanguinei Temperamenti laborabat identidem, ut referebat, languore Stomachi; Senſim extenuabatur, ex eoque languore deficiebat, neque erat cibi ſumendi potens, minùs etiam liquidi, quàm ſolidi; nam deglutitus ad Ventriculum pervenire non poſſe videbatur. Eum denique vehemens corripuit vomitio, & atri humoris copia rejecta eſt. Vomitum febris, febrim macies, hanc mors excepit. *Hiſtoria.*

II. Omentum firmiſſimè Peritonæo adhærere, ſecto Cadavere animadvertimus. Hepatis moles totum occupabat Epigaſtrium. Capſula bilis ampliſſima erat, & turgida. Lienis veſtigia ferè apparebant. Notavimus, ab ingenti mole, & pondere Jecoris detruſum fuiſſe in umbilicalem regionem Ventriculum, cujus ſuperius orificium à ſuperpoſito Hepate valdè erat compreſſum, ac veluti ſtrangulatum. *Abdominis inſpectio.*

## SCHOLIUM.

III. EX depreſſione Ventriculi, ſuperioriſque orificii ſtrangulatione & Stomachi languor, & ſumendi cibi impotentia percipi poſſunt. Ut enim firmitas ejus à vigoratione fibrarum, vegetoque elatere dependet, ità languor à relaxatione, concidentiâque producitur. Œſophagi per vim *Stomachi languor.*

*Cibi traductio per œſophagum difficilis.* elongati cavitas evaſerat anguſtior; unde alimenta difficilè canalem percurrere poterant. Prætereà orificium ſuperius valdè compreſſum, & coarctatum cibi in Ventriculi cavitatem ingreſſum prohibebat.

IV. Quoniam verò protendi plurimùm Œſophagus cogebatur, parietes ejus facti erant niſu quodam contigui; ſic liquida in potu ſumpta imparem vim ad diſtrahenda canalis latera habebant. Faciliùs autem ſolida alimenta à Pharynge ſe contrahente protruſa cuneorum adinſtar poterant contigua Œſophagi latera disjungere, & per vim contractilem totius canalis urgeri versùs orificium Ventriculi, ejuſque reſiſtentiam quodammodò ſuperare. *Difficilior liquidi quàm ſolidi.*

V. Quòd Lien ad molem tam minimam fuerit redactus, ut ejus veſtigia ferè apparerent, mirabile eſt; ſolet enim vel ſolitarius, vel Hepate ſimul obſtructo plurimùm grandeſcere. Qualicunque de causâ ſic contractus fuerit, ſecretionem humoris jam nullam fieri obliteratis ſenſim glandulis, oportebat; ſucci tandem depluvium in Ventriculo factum fuiſſe, opinor, qui vehementem vomitionem excitaverit; hanc etenim minimè inductam à ſolâ bile putaverim, cùm ampliſſima Cyſtis, & turgida reperta fuerit, quæ vehementes poſt vomitus potiùs inanis eſſe debuiſſet; unde quidquam obſtruens cyſticum meatum extitiſſe, veriſimiliter arbitror. *Lien valdè puſillus.* *Veſicula bilis turgida.*

VI. Cùm nullum Abdominis vulnus præceſſerit, rarior hæc Omenti ad Peritonæum, eaque firmiſſima, debet cohæſio cenſeri. Mihi tamen ſtatum Viſcerum conſideranti conjecturalis ratio occurrit, cur illud accidere in Ægrotante noſtro *Omentum firmiter cohærēs peritonæo.*

po-

potuerit. Ventriculus enim à maximâ Jecoris mole non ſolùm in umbilicalem regionem fuit detruſus, ſed ipſe, inquam, Ventriculus, & Colon, & reliqua Inteſtina magnâ, & conſtanti preſſione juxta Peritonæum intermedio Omento fuerunt admota; hoc autem diu, jugiterque ad Peritonæi membranam appoſitum, & ad ejus arctam contiguitatem detentum potuit tandem cum ipsâ firmiter cohærere.

# OBSERVATIO XXV.

*Corticis Cerebri turgidiſſima vaſa. Copia lymphæ in ventriculis. Portio Cerebri ſupra nervos opticos corrupta.*

I. VIrginem vidi deſipientem, diu noctuque querulam, ſcintillantibus oculis, ac veluti convulſis, ſenſuumque externorum vix ullo ſuperſtite. Tantùm de dolore Capitis, dum nulla febris aderat, conquerebatur. Nullum præſidii genus prætermiſſum fuit, & ſanguinis quidem miſſio è jugularibus venis explorata eſt. Paucorum ſpatio dierum periit. *Hiſtoria.*

II. In Sectione Cadaveris viſcera Thoracis omnia, infimique Ventris ſaniſſima invenimus. Caput verò ſcrutantes vaſa in Cerebri cortice turgidiſſima, multumque ſeri in ventriculis videbamus. Fibroſa ſupra nervos opticos ſubſtantia omninò erat corrupta, alibi probè conſtituta. *Inſpectio Cadaveris.*

SCHO-

## SCHOLIUM.

*Pars cerebri ſupra nervos opticos corrupta.*

III. PArtis Cerebri ſupra nervos opticos corruptionem veriſimiliter effuſio aliqua ſanguinis cum inflammatione præceſſerat. Sed cur nulla febris adfuit? Hoc certè mirum eſt. Convulſivæ oculorum ſcintillationis ex affecto Cerebri loco perſpicua ſatis ratio eſt.

*Vaſa in cerebri cortice turgidiſſima.*

IV. Sanguinis motûs interceptionem in Cerebro factam turgidiſſima Corticis vaſa oſtendunt. Aliquid fortaſsè refluentem cruorem per jugulares venas in Cavam morabatur. Nos ſæpiſſimè turgentes præter-naturam venas, quæ piam matrem perreptant, ut alibi notatum eſt, in affectibus Cerebri animadvertimus. Celeberrimus Lanciſius vaſa eadem adeò turgida, & varicoſa, præſertim ad anticam Cerebri partem, invenit, ut Corallorum ramis viderentur ſimilia. Talia in Apoplectico ex ſuppreſsâ intempeſtivè hemorrhagiâ obſervavit.

*Corallorum ramis ſimilia à D. Lanciſio obſervata.*

*Copia ſeri in ventriculis cerebri ſepè morbi, & mortis effectus eſt, non cauſa.*

V. Dato Cerebri affectu cum remorâ ſanguinis, familiaris eſt copia ſeri in ventriculis, quam ſæpè damnari tanquam morbi, & mortis cauſam audimus. Rarum eſt, ut effectum ſenſibus obvium ab obſcuriori causâ ſejungi debere, vulgus libenter intelligat.

# OBSERVATIO XXVI.

## *Fungoſa Cerebri excreſcentia.*

I. ADoleſcens ex caſu ab alto contraxit fracturam oſſis Coronalis ad Naſi radicem, & præcipuè versùs dextrum ſupercilium. Aderat oſſis fracti depreſſio, quod Chirurgus ferro extollere vi quadam tentavit. Hinc viſum eſt Cerebrum cum membranis ex aperto Cranio prominere ferè ad dimidiæ magnitudinem juglandis; triumque Menſium ſpatio, quaſi fungus excrevit. Chirurgus ancipitem morbi exitum prævidens temerè ſuſcepit fungi ablationem; extirpationemque ferro periculoſiorem judicans, illius lapſum tentare ligaturâ voluit. Adoleſcens injecto vinculo paucis poſt horis incidit in ſoporem cum pulſu formicante, & vomitu, extremumque diem breviſſimâ morte confecit. *Hiſtoria.*

II. Sectione Capitis inſtitutâ non mediocrem ſubſtantiæ Cerebri circa fungum ſphacelatam partem reperimus. Nihil erat fungoſa excreſcentia, niſi extuberans Cerebri proceſſus cum extenſione Meningum. *Capitis inſpectio.*

## *S C H O L I U M.*

III. QUotieſcunque in Capite vulneratis cum Cranii fracturâ, remotiſque fragmentis dura Mater denudatur, & per læſionem aliquam, in ſuperficie ejus à ſquamis, aut medicamentis, aut humoribus acribus factam, ſolvitur contiguitas fibrillarum, fungoſæ excreſcen-

*Fungi ex durâ matre productio explicatur.*

tiæ periculum imminet : cujus quidem productio ità explicari veriſimiliter poſſe videtur . Sanguis ad duræ Matris nutritionem , alioſque uſus ab arteriolis inſtillatur in fibrillarum interſtitia , & poros . Hujus modica portio retinetur , ſenſimque in membranoſam ex communi nutritionis lege tranſit ſubſtantiam ; reliqua juxta circulationis ordinem in extremis venarum radiculis recipitur . Supponamus igitur, in parte aliquâ membranæ fibrillas vel lacerari, vel diſrumpi; fieri non poteſt ob multitudinem vaſculorum, quin aliqua ex his ſimul lacerentur, vel diſrumpantur. Quare ex duplici fonte ſcaturiet ſanguis , nimirùm ex ſucculentis membranæ fibris , & vaſculis ſanguineis ; hinc partim genuinus erit ſanguis omninò ſimilis illi , qui in vaſculis continetur : partim verò glutinoſam recepit modificationem, aptúſque evaſit in ſolidam converti ſubſtantiam . Sincerus itaque ſanguis cum ſanguine modificato emergens in ſuperficie membranæ facillimè abit in coagulum , quod ſenſim indureſcit in molem carneam, informem, ſpongioſam ex impreſſo ſolidæ partis rudimento à glutinoſis particulis in ſubſtantiâ membranæ modificatis.

*Fungoſæ cerebri excreſcentiæ generatio.*

IV. Eodem modo alteratis glandulis Corticis Cerebri humores nutritii in ſubſtantiâ ejus modificati cum reliquis humoribus ſanguineis tranſudant, & fungoſam parere valent excreſcentiam. Malpighius cenſet, exulceratis per vulnera corticalibus glandulis ſuccum nerveum per inſertos medullares canaliculos non excerni , ſed extra vaſa effundi, & excreſcentiam efficere.

V. Difficilius eſt autem modum productionis excreſcentiæ Cerebri non vulnerato Cerebro ex-

po-

ponere, ut in hoc quidem caſu contingit, in quo ſola videtur laxitas, & dilatatio membranarum Cerebri fungi, ut paſſim vocamus, occaſionem præbere. Fieri igitur poteſt, ut protenſam è Cranii meatu Meningem contigua Cerebri portio facilè ſequatur ob mollem conſiſtentiam: tum Corticis prolata ſubſtantia laxior evadat; Quare admiſsâ majore ſucci nutritii copiâ, eam extuberare in ſpeciem fungoſæ excreſcentiæ, oportebit.

*Quomodò cerebri portio ad modum fungi extuberet.*

VI. Symptomata, quæ Ægro ſupervenerunt factâ Fungi ligaturâ, dependent à ſpirituum influxu partim impedito, partim inordinato, ut evidens eſt. Subſtantiæ Cerebri vinculo adjacentis corruptio ab intercepto liquidorum fluxu petenda.

VII. Ego Homines duos Capite olim vulneratos, qui magnam Cranii jacturam fecerant, vidi. Uterque ad vulneris locum magnam exhibebat Cerebri protuberantiam communibus velamentis coopertam: in eâque alterni inflationis, concidentiæque motus levi tactu, imò vel ſolo viſu percipiebantur. Cerebri Herniam haud ineptè dixiſſes. Alter dolores, morboſque convulſivos pati ſe certis anni temporibus, præſertim flantibus ventis, narrabat; Hi verò à contractione membranarum, & quadam veluti ſtrangulatione portionis Cerebri è Cranio prominentis faciliter excitabantur.

*Cerebri hernia qualis ſit: hic ab Authore obſervata.*

# OBSERVATIO XXVII.

*Pulmo inflammatus. Conſiſtentia ejus ſimilis hepaticæ. Ingens Jecoris, & Lienis moles. Polypi in Ventriculis Cordis.*

*Hiſtoria.*

I. VIr ætatis conſiſtentis acutâ febri corripitur, cum dolore lateris, ſputo cruento, & reliquis affectionibus, quæ inflammatorium Pulmonis morbum conſequuntur. Accedit pulsûs inæqualitas cum intermittentiâ. Symptomata graviora fiunt, quæ Ægrotantem interimunt.

*Infimi, & medii ventris inſpectio.*

II. Aperto Cadavere magnum Jecur deprehendimus, quod totum occupabat Epigaſtrium; Lienem etiam valdè tumentem. Nihil ſeri in cavitate Abdominis. Pulmo ex inflammatione alteratus erat: conſiſtentia ejus ſimilis hepaticæ. Polypi in ventriculis Cordis partim inter lacertulos, columnaſque irretiti, partim fluctuantes continebantur.

## *SCHOLIUM.*

III. IN magnis Viſcerum obſtructionibus quanquam eorum à naturâ laxitatem admittamus, tamen lentor in ſanguine, & ad remoram proclivitas principem ſolet partem in tanto vitio habere. Quòd ſi in hoc Organorum, ſanguiniſque ſtatu acuta febris Hominem corripiat, inflammationis periculum imminet. Ac primò timendum duntaxat de obſtructis partibus videtur ob receptum in iis, omneſque jam implentem meatus uberrimum ſanguinem. Hoc licèt ità videa-

*Obſtructorum viſcerum magnâ febri ſuperveniente facilis inflammatio.*

deamus interdum in Praxi evenire, minimè tamen rarum eſt, ut altera potiùs, ac forſitan faciliùs, Corporis pars inflammatione corripiatur, præviâ Hepatis, atque Lienis inſigni obſtructione, atque intumeſcentiâ. Enimverò viſcera hæc ab intruſo humore diſtracta jam ſatis, atque extenſa, omninòque obturati eorum pori, occupata interſtitia ab eodem jam concreto ità videntur, ut via potiùs præcludatur irrupturo novo ſanguini, quàm ad eum excipiendum valeat aperiri. Sed poſito tumultu, & fervore ſanguinis cum magnâ rarefactione ejus, facillimum eſt, ut pars aliqua mollis, & laxa, qualis eſt Pulmo, irruentem cruorem admittat, retineatque; unde ejuſdem inflammatio ſequatur. Superioribus Annis ad juvenem ſanguinei temperamenti febre correptum vocabar, qui Lienis obſtructione jamdudùm tenebatur. Id planè videbam, quod Æger, & Familiares narrabant, plurimùm intumeſcere Lienem eo (quod fieri ſæpè ſolebat) febriente, poſteà ad priſtinam molem reduci. Pertinacem in vegeto Juvene Splenis affectum referre in laxitatem nimiam minimè dubitavi, multùmque timui, ne, facto denique tumidiore ſimul, durioreque, partem Corporis alteram effer veſcens identidem ſanguis aggrediatur, ni veloci Phlebotomiâ ſuccurratur.

*Interdum alterius partis, e. g. pulmonis facilior.*

*Obſtructus lien accedente febre plurimùm intumeſcens.*

IV. Inæqualitas, ac præſertim intermittentia Pulsûs à multiplici causâ, ut omnibus notum, pendere poteſt. Præceps de Polypis judicium ferre Nonnulli conſueverunt; aliquandò verum eſt. Cogito, idque in Sectionibus animadverti, vel ſummam ad parietes Cordis Polypum habere connexionem, inſinuatis nempe ramoſis propaginibus

*Quales polypi inæqualitatem, vel intermittentiam pulſus parere ſoleant.*

ſuis inter columnarum, lacertorumque interſtitia, corpore polypoſo plano, compreſſoque exiſtente; Tunc pulſum vitiari, minùs facile eſt: Vel Polypum parùm coercitum mediis appendiculis ſuis, aut protuberantem, ſub-rotundum, mobilem, altèque fluctuantem eſſe; ſic ferri quandoque ad emiſſarii meatum poſſe, eundemque ex parte, vel omninò occludere: quo caſu inæqualitas, aut intermittentia ſequetur. Sed iterùm dico: ex vitiis pulsûs ne temerè de Polypis judicium feramus, cavendum. Multos ſanè decepit. Sectio Cadaverum cautiores efficiat. Polypos enim reperias, & æqualis, & conſtans fuit pulſus: Polypi deſunt, & omne vitium fuit in pulſu deprehenſum; Ne quid modò dicam de incerto tempore, quo polypoſæ formantur concretiones.

*Fallax de polypis ex pulſu judicium.*

# OBSERVATIO XXVIII.

*Cor ex diſrupto Abſceſſu eroſum. Aqua Pericardii limpida.*

*Hiſtoria.*

I. VIro cuidam ex caſu ab alto diſrupta fuerunt pulmonica vaſa; unde effuſio ſanguinis, & alteratio Pulmonis ſequuta eſt. Signa ſputum prodidit. Erat Aſciticus. Viſcera jamdudùm obſtructione laborabant. Mori autem viſus eſt ex affectu pulmonico.

*Imi ventris, ac medii inſpectio.*

II. In Cadavere, præter alteratum Pulmonem, ſanguinemque in Thorace, & ſerum in Abdomine effuſum, cum intumeſcentiâ Hepatis, & Lienis, reperimus Cor Abſceſſu jam diſrupto eroſum,

cru-

cruſtâque purulentâ obductum. Aqua Pericardii limpida erat.

## *SCHOLIUM.*

III. A Corrupto Pericardii humore Cordis ſuperficiem alterari, aliquandò contingit: cujus rei exemplum habemus in Obſervatione noſtrâ XVI. alterumque legiſſe meminimus in Obſerv. Olai Borrichii commemoratâ in Actis Hafnienſibus, in quâ habet, à putrido Pericardii ſero Cor membranâ ſpoliatum, exterioremque Cordis ſubſtantiam ab eodem exeſam, & reliquam flaccidam, atque marceſcentem inveniſſe. Ibidem animadvertit Author (quod equidem notatu dignum erat) nunquam de dolore in regione Cordis querulum Ægrotantem audiviſſe.

*Cor membranâ ſpoliatum, atque exeſum: ex Obſ. Ol. Borrichii.*

IV. Morbus in hoc caſu ab humore Pericardii, qui limpidus occurrit, minimè pendebat, ſed in Corde ipſo primitùs erat. Ex quo facile eſt colligere, Cordis Abſceſſum à longo jam tempore factum fuiſſe; alioquin aqua in Pericardio purulenta apparuiſſet, ut olim purulentam eſſe diſrupto Abſceſſu, oportuit. Senſim verò coaleſcentes puris moleculæ cruſtam efformaverunt, minùſque turbidum in Capſulâ humorem reliquerunt, qui alterius liquidi ſucceſſivâ additione poſtremò nihil habuit, quod turbidum, putridumque exhiberet. Prætereà Cordis alterationem ab ejuſdem liquoris vitio productam non fuiſſe, veriſimiliter cenſemus, quia non in unâ tantùm parte collecta, ſed toto Cordis ambitu diffuſa læſio fuiſſet. Intereà mirum videtur, quòd nulla apparuerint affecti Cordis indicia, neque ejus alteratio mortem attulerit.

*Aqua pericardii limpida prævio cordis abſceſſu.*

V. Dici

V. Dici quidem poſſe, video, quòd ex poſtremâ ægritudine Homo laborans ſymptomata antiquioris morbi, quæ tum mitiora erant, nequaquam Medico retulerit. Sed nobis abundè favet ſuperior animadverſio Borrichii, quòd querulum de dolore ad Cordis regionem Ægrum nunquam ſuum audiverit; tamen membranâ Cor ſpoliatum, exterior ſubſtantia ejus exeſa, reliqua flaccida, ac marceſcens apparuit. Ac minùs quidem explicatu difficilis Obſervatio Borrichii, quàm noſtra videtur; Etenim putridum ſerum undequaque alluendo, atque diu madefaciendo, imò membranam macerando, mollem, laxam, flaccidam, putridamque effecit; unde in multa fragmenta ſolutio ejus, atque ſeceſſio ſequuta eſt. Eademque non abſimili modo gradatim accidere in ſubſtantiâ Cordis alteratio debebat. Qui modus alterationis medio humido macerante, & putrefaciente tardus, & ſucceſſivus ſinè multo doloris ſenſu concipi poteſt, propter inductam fibris laxitatem nimiam, mollitiem, atque torporem.

*Inſignis alteratio cordis minimè dolorifica.*

# OBSERVATIO XXIX.

*Magnum Hepar, ac ferè ſcirrhoſum. Parvulus Lien. Hujus durities, ſimulque Pancreatis. Serum in cavitate Thoracis. Multiplex Pulmonis vitium. Cordis, valvularum, vaſorumque magnitudo.*

*Hiſtoria.*

I. JAmdudum Quinquagenarius Orthopnæâ laborabat. Lenta febris ſupervenit, tuſſis, exſpuitio ſeroſæ, ſpumoſæque materiei ſanguineis moleculis permiſtæ. Tumor aderat

in

in dextro Hypochondrio duritie ad ſcirrhum vergente. Accedebat inferiorum partium ingens Œdema, ſuperiorumque extenuatio; jamque Æger ſpiritum crebris vix ducebat ſuſpiriis, & ad utrumque latus pari ſe incommodo convertebat. Inter hæc levi procuratâ Pectoris commotione murmurabat contenti humoris inundatio. Suppreſſo denique ſputo, difficillimâ in reſpiratione ſupremum ſpiritum effudit.

II. Magnam Hepatis quaſi ſcirrhoſi molem in Cadavere obſervavimus: Lienem minimum, duriſſimumque: durum quoque Pancreas. Nihil ſeri repertum eſt in Abdomine: Thoracis verò dextram propemodùm implebat cavitatem. Pulmo inæqualiter læſus apparuit; erat enim alicubi conſiſtentia ejus veluti hepatica: alibi accenſus color, alibi inſolitis variegatus maculis: ſed magnâ ex parte tumidus, denſus, & pituitoſo farcimine ſtipatus. Diſſectis bronchiis, ſpumoſa inprimis materia, & albicans prodibat, in extremis verò illorum quid ſub-cruenti, & putridi, quod ab ipsâ Pulmonis ſubſtantiâ emanabat. Cor inſolitæ magnitudinis ſeſe obtulit, in quo valvulæ mirum in modum dilatatæ, vaſorumque orificia, ut in bubulo Corde ampliata conſpiciebantur. Ventriculi grumoſo, & atro turgebant ſanguine. *Inſpectio imi, mediique ventris.*

## SCHOLIUM.

III. QUòd Homini dudùm Orthopnoico multiplex Pulmonis vitium accedat, & viſcera obſtruantur, & Hydrops ſuperveniat, minimè mirum eſt; cùm Circulatio ſanguinis in vaſis, retibuſque pulmonicis intercipi debeat: nec ſan- *Orthopnæam quæ mala conſequantur.*

ſanguis debitâ aeris copiâ, & miſtione attenuari ſatis, vividuſque valeat ſervari. Sed inſolens id primò videtur, quòd obſtructis tantoperè imi Ventris viſceribus, nihil ſeri repertum in cavitate fuerit; Secundò quòd Lien pars omnium laxior, ad intumeſcentiam facilis, puſillus duriſſimuſque extiterit. Fieri poſſe, puto, ut in Crura, & Pectus derivato ſero, modicum nimis ſuperfuerit, quod in Ventrem ſecederet: Lienis verò à ſtyptico ſucco inducta contractio, & durities fuerit, muſcularibus fibris, quibus tranſverſim texitur, quaſi convulſis.

*Parvulus, duriſſimuſque Lien.*

IV. Quoniam ſanguis à cavâ, & pulmonali venâ lentè in Cor ferebatur, ſanguinique à Corde in Pulmonem, & reliquum Corpus projecto obices multi occurrebant, ut ex enarratis patet, remora, & reluctatio liquidi ad Cor fieri debebat; Quamobrem & vaſa ampliari, & diſtrahi valvulas, & Cordis augeri molem, oportebat.

*Cordis, ejuſque vaſorum, & valvularum magnitudo.*

V. Difficilis anhelitus in Aſthmaticis ratio multiplex eſſe poteſt pro multiplici causâ affectum hunc producente. A materiâ pituitosâ pendere in expoſito caſu videtur, pulmonalibus veſiculis, interjectiſque loculis, & canaliculis impactâ, quæ craſſior, viſcidiorque evaſerat, cuique poſtremò ſub-cruentus, atque putreſcens humor acceſſerat: A ſero ipſo in Thoracis cavitate contento Pulmonem opprimente: & à mole Hepatis auctâ Diaphragma Thoracem versùs urgente.

*Difficilis anhelitus cauſæ multiplices.*

VI. In laborantibus Pectoris morbo cum ſuſpicione ſeri in cavitate effuſi procurare ipſius Ventris commotionem Practici ſolent, &, an liquidi undulatio quædam ſubaudiatur, advertere. Fieri autem poſſe, puto, ut fallax hujuſmodi experi-

*Fluctuantium aquarum mur-*

perimentum accidere valeat, præſertim ſi nimia ſeri copia totam prorsùs adimpleat cavitatem. Equidem ſatis non conſtat, quomodò aquarum murmur tunc percipi poſſit: non ſecùs ac vas aliquod liquido exactè repletum commovendo, fluctuatio nulla ad ſenſum venit. Hoc ità ſe habere nemo, ſaltèm in exſpirationis ſtatu, negaverit. Verùm objiciet fortaſsè aliquis, quòd inſpirante Ægro, poterit agitatio liquoris quodammodò percipi: quia elevatis Coſtis, depreſſoque Diaphragmate conciliatur amplior in Thorace cavitas, quæ, ſi aeri in bronchia, Pulmonumque ſubſtantiam valeat aditum præbere, poterit liberius quoque ſpatium effuſo liquori concedere. Sed facilis Reſponſio eſt: Quælibet enim leviſſima elevatio Pectoris, Septique Tranſverſi depreſſio fieri nequit, quin eodem momento aer ingrediatur canales pulmonicos ad occupandum inane, non ex vacui metu, ſed mechanicâ preſſionis aeris neceſſitate. Et quoniam impar in Pulmone ſpatium eſt ad recipiendum tantum aeris, quantum pro vitâ requiritur, datâ maximâ ſeri copiâ in medii Ventris cavitate: ideò Ægrotans ſummam, quæ haberi poſſit, ampliationem Pectoris majori contractione muſculorum molitur; unde vi quadam aereæ inſinuantur columnulæ in fiſtulas pulmonicas, earum dilatationem, ſubindèque veſicularum procurantes. Quamobrem fieri vix poſſe patet, ut ſpatium in cavitate permaneat, in quo effuſum extra vaſa liquidum ſenſibilem undulationem patiatur. In noſtro caſu clarum murmur ad aures veniebat, ſive quòd in alterâ tantùm cavitate continerentur aquæ, quarum proindè undulationi cedebat unà cum Corde Mediaſtinum: ſive

*mur in Pectoris hydrope perpetuum non eſt.*

quòd eædem non omninò cavitatem, exactèque replerent; ac ego ſanè perrarum puto, ut adamuſſim repleatur. Ulteriùs in tanto Pulmonum vitio, humorumque farcimine fieri poterat, ut ex intercepti ſimul aeris concurſu quoddam murmur pulmonicum excitaretur, illudque audientes falleret.

*Murmur pulmonicum fallere poteſt.*

VII. Veſiculæ Pulmonis pituitosâ materiâ infartæ difficilis anhelitus cauſa exiſtunt, non ſolùm quòd aerem excipere nequeant, & emittere, ſed etiam quia ipſæ ſimul cum interſtitiis pariter inflatis turgentes, denſam, gravioremque ſubſtantiam acquirunt, quæ ſpiritales ſuper fiſtulas gravitando, fluxum aeris, refluxumque intercipit. Hæc autem moles pulmonica denſioris conſiſtentiæ gravitatem in ſpiritalibus tubulis majorem exercet in decubitu Ægrotantis horizontali, quàm in perpendiculari ſtatu ejus ad horizontem, ut patet; hinc faciliùs erectus Homo, vel ſedens, quàm decumbens reſpirat.

*Erecti hominis facilior, quàm jacentis reſpiratio pulmone infarto.*

VIII. In expoſitâ Obſervatione mentio fit Hepatis duri, & tumidi, quod in ſitu Corporis horizontali Diaphragma urgere versùs Thoracem poteſt: ſicuti erecto Corpore Diaphragma ſecum trahendo tunc maximè deprimit, cùm ejus moles, ut in hoc caſu, naturali gravior exiſtit. Hepar enim, & pleraque Abdominis viſcera ſervato Corporis horizontali ſitu in Tranſverſum Septum nituntur, illudque in Pectoris cavitatem protrudunt; Quandoquidem utì Viſcerum gravitas ſtante Homine ad Hypogaſtrium eſt, ſolidam partem, non cedentem, utpotè oſſeam: ſic reclinato Corpore directio gravitatis in Diaphragma convertitur, partem carneo-tendineam, parùmque renitentem.

*Hepar, & pleraque abdominis viſcera decumbente homine in ſeptū tranſverſum nituntur.*

IX. Cla-

IX. Clariſſimus Willis difficultatem ſpirandi jacente Ægro, ubi de Aſthmate differit, his verbis exponit. *Uſitatum eſt; huic morbo obnoxios ſæpè lectum ingredi non auſos tantummodò in Cathedrâ, aut ſuper Cubile veſtibus indutos dormire poſſe; Cujus ratio eſt, quòd Corpore ſtragulis cooperto, & concalefactò, ſanguis proindè in motum paulò citatiorem concitus, & ferveſcens uberiorem aeris inſpirationem requirit, quàm per Tracheæ ductus coarctatos ſuppleri queat; nam quò plus ſanguinis quaque ſyſtoles, & diaſtoles vice Pulmones traiicit, eò propter accenſionem, ſimulque eventilationem ejus aer copioſiùs, & celeriùs ingeri, regerique debet: cui penſo (cùm propter impedimenta non facilè abſolvitur) tamen quoquo modo peragendò partium omnium reſpirationi dicatarum cum magnâ totius Pectoris contentione conatus ultimi exeruntur.* Patet autem, non à ſtragulis difficilem anhelitum pendere; jis enim remotis, difficultas ſpirandi ſupereſt, quæ ab incommodò Corporis ſitu petenda eſt: quoniam Æger erectâ cervice manens, etiam indumentis coopertus, faciliùs reſpirat, quàm in prono decubitu denudatus Pectore.

*Reſpiratio jacentis aſthmatici cur difficilior ex Th. Vvillis.*

X. Porrò ne illud quidem hìc præterire volumus, quòd ea ſanguinis eventilatio à Th. Willis, aliiſque indicata vulgarem nimis ideam de Reſpirationis uſu præbeat. Quò etiam pertinent expulſio fuliginum, ſanguinis refrigeratio, nitroſarum particularum inſinuatio, aliaque ab Authoribus excogitata pro ſcopo Naturæ in Reſpiratione Animalium; Talia enim vel falſa ſunt, vel dubia, tantùm-ve ſecundarii uſus eſſe videntur: præcipuus enim (meo quidem judicio) longè ab his diverſus eſt. Eruditas ſanè Lucubrationes de

*Primarium reſpirationis uſum nemo hactenùs demonſtravit.*

Reſpiratione ediderunt Præclariſſimi Viri Swammerdam, Boyle, Truſton, Entius, Borellus, Mayow, aliique; Sed quod caput rei eſt, minimè videntur attigiſſe. Nobis animus eſt tam obſcuram, tamque mirificam hauriendi aeris neceſſitatem, ſubindèque utilitatem ejus ſive in Plantis, ſive in Animalibus aliquandò exponere, ac forſitan demonſtrare.

*De neceſſitate, & uſu reſpirationis ſcripturum ſe, Auctor pollicetur.*

# OBSERVATIO XXX.

*Aqua in Abdominis, & Pectoris cavitate. Magnum Hepar, & albicans. Hymenis exiſtentia. Polypi in dextrâ Cordis auriculâ varicosâ.*

*Hiſtoria.*

I. ADoleſcentula icterica ad Cachexiam vergens lentâ febre detinebatur. Supervenit brachiorum inflatio, quæ refluente in vaſa humore interdùm evaneſcebat, novoque ejuſdem affluxu iterùm apparebat. Languens demùm Ægra ſenſim de vitâ migravit.

*Inſpectio infimi ventris.*

II. Inſignis Hepar magnitudinis, coloriſque albicantis, tum cætera Abdominis viſcera aquis immerſa, flaccida, corruptionique proxima, ſecto Cadavere, invenimus. Genitalia Organa curiosè perluſtrantibus Hymen ſe ſe nobis perſpicuè obtulit.

*& medii.*

III. Maxima ſeri copia in Thorace erat, cui innatans Pulmo lividus occurrebat. In dextrâ Cordis auriculâ varicosâ ingentes continebantur Polypi.

SCHO-

## SCHOLIUM.

IV. FRequenter in Cachecticis, & Hydropicis pallidus Hepatis color obſervatur, quia ſanguis vividâ in his rubedine partim eſt deſtitutus, partim pauca bilis diluta eſt copioſiore ſero. Hinc illud à Præclariſſimo Lanciſio memoriæ mandatum in Epiſtolâ ad Blancum noſtrum legimus, pallido nempe ſero plenam Cyſtim in Celebris Juriſconſulti Cadavere, præter virideſcentis bilis ramenta, vidiſſe, compreſſoque viſcere ſolos ichores per hepaticum porum, ductumque cholidochum effluentes. Sed quoniam de magno Hepate, & albicante incidit ſermo, memorabilis equidem Hiſtoria nobis videtur, quam in eâdem Epiſtolâ pulchrè Lanciſius enarrat; ſic autem Vir Eximius: *Antè biennium Solers Anatomicus, & Amicus noſter D. Pacchionus oſtendit Jecur cujuſdam Vetulæ, quod tertiâ ſolùm parte, quæ cyſtim complectebatur, colore, & conſiſtentiâ Hepatis ſubſtantiam referebat: duabus verò, gibbis nimirùm, partibus adeò candicabat, ut lucidæ potiùs, ac cryſtallinæ apparerent; erant quippe coagmentatæ ex magnis penè ſphæricis veſicis, quas duplex membrana, utraque valida, contegebat. Veſicæ plenæ erant diaphano ichore, qui igne tentatus in armoniacos halitus totus reſolvebatur. Mulier autem hæc doluit antè in regione Hepatis per decennium.* Magnam omninò hepatici hujus affectûs cum eâ Renum affectione affinitatem reperio, in quâ totum Renis corpus nihil præter multarum veſicarum ſero turgentium ſeriem, occurrit. Veriſimile eſt autem, ut in Jecore æquè ac in Renibus folliculi glanduloſi grandiores facti ex intruſo per vim liquido, eoque retento,

*Cyſtis pallido ſero plena ex Obſ. D. Lanciſii.*

*Hepar ex lucidis, ac cryſtallinis veſicis conſtans, obſervatum à D. Pacchiono, & Lanciſio.*

tento, diſtrahente, atque laxante fibrillas, & membranulas folliculorum, in earum magnitudinem veſicarum excreverint. Quòd porrò ejuſmodi affectio longè in Renibus, quàm Jecore ſit frequentior, ratio hæc eſſe videtur, quòd renalibus in folliculis copioſus humor ſeroſus, & fluxilis turgere magis, & laxare pelliculas poteſt: in hepaticis verò paucior, atque viſcidulus plerunque obſtruit, in coagulum abit, & folliculos efficit duriores. Equidem in expoſitâ Obſervatione ichore diaphano hepaticæ turgebant veſicæ: quod à lymphâ, non à bile factam præter Naturæ ordinem folliculorum inflationem fuiſſe, demonſtrat.

*Similis affectio cur in renibus frequentior.*

V. Aqua in Ventre diu contenta Viſceribus mollitiem, & flacciditatem facilè conciliat; quin etiam in diuturnis hiſce affectibus ea interdùm fracida evadunt, & abeunt in putrilaginem, niſi per obſtructiones contracta durities ad ſcirrhoſam acceſſerit. Cùm mollia valdè, ac putreſcentia occurrunt viſcera, cœpit anteà tonus laxari, deindè limoſum quiddam effuſas in cavitate aquas inficere.

*Diuturna aquarum in vẽtre collectio mollia, & flaccida viſcera facilè reddit, aliquandò putrefacit.*

VI. De Hymenis exiſtentiâ, & conformatione variæ extant Anatomicorum ſententiæ. Hi veram eſſe membranam, ſtatuunt, Genitalia Virginum in externa, internaque eo ferè modo diſtinguentem, quo per Tympani membranam externa Auris ab internâ ſejungitur; Alii contiguitatem, aut coalitum caruncularum ad oſtium vaginæ Hymen efficere ajunt. Sunt qui pelliculam, aut fibrillarum faſciculum carunculas connectentem effingunt; ſolent verò foramina quædam in interſtitiis fibrarum, vel inter carunculas, aut unum ſaltèm in membranâ ponere, ut menſtruus ſanguis

*Variæ ſunt de hymene ſententiæ.*

guis percoletur. Cætera nihil intereſt commemorare; Noſtris enim, aliorumque Obſervationibus compertum eſt, obicem in Puellis nullum adeſſe orificio vaginæ, præter anguſtiam ex membranoſo circulo efformatam: qui ſi ex latiore laminâ circunvolutâ conſtet, minoremque meatum relinquat, quaſi veri Hymenis ſpeciem videtur exhibere. Nihil intereà circulus ille eſt, niſi vaginalis quidam in ipſo orificio proceſſus cum Nymphis continuatus. Cæterùm præter-naturam evenit, ut adſcititia, veraque membrana vel patens, vel cæca reperiatur: quemadmodùm morboſè contingit, ut in lucem emittantur Pueri ore, auribus, ano, urethrâ vel imperforatis, vel non ſatis patentibus. Quod igitur in hâc Hiſtoriâ de Hymene memoratur, vel ad ſenſum noſtrum debet referri, vel quidquam præter Naturæ ordinem accidiſſe, putandum eſt.

*Hymen quid ſit naturaliter.*

*quid præter-naturam.*

# OBSERVATIO XXXI.

*Hepar inflammatum, & in cavâ parte corruptum. Abſceſſus in Pericardio cum purulenti copiâ ſeri in cavitate ejus. Cor alteratum.*

I. ACuta febris Hominem corripuit, quâ brevì extinctus eſt. Præcipua ſymptomata fuerunt calor acerrimus, importuna tuſſis, difficultas ſpirandi. Ad latera cubare Æger non poterat, poterat paululùm ſupinus; ſedens verò meliùs ſe habebat. Poſtremò diarrhæa ſupervenit.

*Hiſtoria.*

II. Vidimus, ſecto Cadavere, inflammatum Hepar, & in cavâ parte corruptum: Abſceſſum in Pe-

*Inſpectio infimi, & medii ventris.*

Pericardio, cujus amplior cavitas purulenti copiam ſeri continebat. Præter exeſum Pericardium, idemque purulentum, Cordis alterata ſuperficies, cruſtâque albicante obducta deprehendebatur. Concretiones polypoſas Cordis habebant ventriculi.

## SCHOLIUM.

*Cor, & pericardium vel alterantur ex ſe, vel contenti humoris vitio inficiuntur.*

III. De Cordis alteratione alio loco meminimus, indicavimuſque, cauſam nonnunquam in Corde ipſo enaſci, interdùm à labe humoris Pericardii pendere. Idem de Pericardii læſione dicendum, cujus vel à corrupto humore labefactari ſubſtantia poteſt, vel eroſio, atque corruptio in ejuſdem primò membranis excitari. Quæ primò pars in caſu noſtro vitium contraxerit, cùm arduum nimis ſit ſtatuere, in rei hujuſce indagationem minimè laborabimus; hìc enim ego à Parente meo facilè putaverim Abſceſsûs vocabulum pro purulentâ materiâ, non pro Tumore putrido, diſruptoque uſurpari, præſertim cùm Abſceſſum non Pericardii, ſed in Pericardio repertum fuiſſe, dixerit.

*Moleſti decubitus ſingularis ratio inquiritur.*

IV. Sed illud operæ pretium eſt in hoc caſu animadvertere, minùs à vitio qualicunque Pulmonum, quàm ab affecto Pericardio, & Corde decubitûs rationem pendere, qui difficilis in dorſo, impoſſibilis erat in lateribus; quarè ſedens Ægrotus ducere ſpiritum cogebatur. Cogito, alteratam Cordis ſuperficiem cum exesâ ſuperficie Pericardii ad contactum venientem doloris ſenſum neceſſariò induxiſſe; Jacente autem Ægro, non mutuus tantùm contactus iſte ſequebatur, ſed gravitatio

tatio ſimul Cordis ſupra Pericardium, ex quâ major ſanè affectio excitari debebat. Quoniam verò ad utrumque veriſimiliter latus major erat eroſio membranarum, quàm ad poſteriorem Cordis partem, ideò levior hìc accidit moleſtia jacentis, illic graviſſima. Erectus interim Æger, cùm pendulum, & è vaſis ſuis Cor ſuſpenſum in Capſulâ maneret, ità ſe ipſum poterat componere, ut vix, aut ne vix quidem ad rudem contactum Cor cum Pericardio veniret; ſaltèm illud accedebat commodi, ut in nullam partem toto corpore ſuo Cor gravitaret. Quòd ſi ad purulenti ſeri copiam in cavitate Pericardii ampliore reſpiciamus, altera ratio moleſti decubitûs eluceſcit; Diſtrahi enim oportebat Pericardium, atque Mediaſtinum Ægro jacente, ac ſupra Pulmonem potiſſimùm gravitare, ut manifeſtum eſt; unde in laterali decubitu requies haberi nulla poterat.

V. Quoniam polypoſæ concretiones frequenter in Cadaverum Sectionibus occurrunt, earumque nos pluries in hoc Obſervationum Faſciculo meminimus, non abs re eſſe videbitur, ut aliqua de his breviter dicamus. Polyporum in viventibus exiſtentiam alii in dubium revocare, negare prorsùs alii nequaquam verentur. Kerckringius in Cadaveribus oriri Polypos vult ex coagulatione refrigerati ſanguinis, inductâ à particulis aceſcentibus, ſuamque familiari experimento firmare conatur ſententiam. Acidum liquorem, ut vitrioli ſpiritum, in vivi Canis venam infundit, in quo repentinam poſt mortem aperto grumoſum, concretumque ſanguinem, quaſi longè latèque productum, extenſumque Polypum, offendit.

*Kerckringii de polyporum generatione opinio.*

M Ve-

*Refellitur.* Verùm cuilibet occurrere primò poteſt, quantùm diverſa ſit natura, & conformatio Polypi à ſimplici ſanguine grumoſo, atque concreto. Ulteriùs ſi hoc dare Kerckringio velimus, ut ab acidi liquoris in vivi Animalis venam injectione Polypi excitentur, errare illum turpiùs, & ſecum pugnare, oſtenderimus; ipſa enim ſanguinis in Polypum concretio ab acido liquore producta generari equidem Polypos poſſe vivente Animali, evincit; Acidum enim in ſanguine eſt: ſuadet ratio, & chymica confirmat Analyſis. Quid? cùm ſucci acidi in Hypochondriacis præſertim, atque Scorbuticis evidenter reperiantur? Quid, quæſo, ſalivæ aciditate, quid acidis vomitibus frequentius? Itaque in ſanguine ipſo acidum inveneris, quod Polypos poſſit efficere. Hinc etiam nonnulli perperam contendunt, extremis tantùm vitæ diebus, aut horulis concretiones hujuſmodi ex lenteſcente cruore efformari: Cujus quidem opinionis errorem ultrò ſuadent ſymptomata, quibus interdùm Polypo laborantes diutiùs vexantur; Quanquam minimè inficiamur, perſæpè in morientibus vel Polypos gigni, vel plurimùm augeri.

*Succi acidi in hypochondriacis, & ſcorbuticis polypos efficere poſſunt.*

*Frequenter in morientibus polypi generantur, vel augentur.*

VI. Ad materiam Polyporum quod pertinet, putat Malpighius, hanc eſſe portionem fibroſam ſanguinis; ſed Clariſſimus Bohn dari fibras in ſanguine, negat, quia quamvìs eſſent perexiguæ, difficillimè capillaria vaſculorum extrema permearent. Malpighius verò in Opere Poſthumo pag. m. 62. confirmare exiſtentiam fibrarum his verbis videtur: *In ſanguine*, inquit, *Animalium, & præcipuè Hominis, minimis fiſtulis excepto, præter atomos rubras, ramenta quædam, & minima filamenta cinerea ſero innatantia patenter obſervantur*,

*Fibras in ſanguine admittit Malpighius, rejicit Bohnius.*

quæ

*quæ probabiliter, ceſſante motu locali & inteſtino, implicatione in ſolidum corpus compaginantur, & concreſcunt; ſicut accidit ſalibus, & foſſilibus, quorum racemi, ramenta, & partes minimæ eâdem pollent figurâ, quæ in his ſolâ magnitudine differt; unde ipſorum concretio pendet à determinatâ componentium figurâ. Nec metuenda eſt minimorum vaſorum obſtructio, cùm ſero confuſæ ſint fibræ; unde motus, & impulſus à Corde receptus ſufficienter ſuperat reſiſtentiam tunicarùm vaſorum, & ipſæ ſolâ implicatione, vel ferruminatione mediis acidis quieſcendo concreſcunt.* Exarata in ſero ramenta à Malpighio deprehenſa fibrarum potiùs inchoamenta, ut ipſe alicubi appellat, quàm veræ fibræ dici merentur: ſimul enim coeuntia fibras efformant. Talia verò eſſe Polyporum primordia veriſimiliter cenſemus.

*Formatio polypi.*

VII. Fieri autem ſolet in Polyporum generatione ex ramentis hiſce, aut quibuſcunque glutinoſis moleculis non grumus aliquis, ſed pellicula quædam, cui accedentia ſtrata plurima pelliculaurum Polypi corpus componunt: non ſecùs, ac Calculorum quorundam ex multiplici ſuperpoſito cortice conformatio obſervatur. Ego Polypos aliquandò deprehendi exteriori hâc telâ involutos, quæ in polypoſam ſubſtantiam nondùm concreverat. Interdùm etiam membranoſum duntaxat rudimentum lacertulis ventriculorum Cordis implicitum reperi.

*Polypi generatio non ſemper requirit acidũ ferruminans.*

VIII. Quòd verò ad excitandum Polypum perpetuò requiratur acidum ferruminans, non omnes ſanè conſentiunt: quia in ſanguine educto, potiſſimùmque in calidam effuſo, poſteà refrigerato vel emergit, vel diffunditur, vel utplurimùm ſubſidit concretio quædam polypoſæ analoga, quæ

M 2 ſinè

ſinè acidi concurſu producitur ; Ne quid dicam de cruſtâ gelatinosâ in ſanguine Pleuriticorum , quæ non raro in polypoſam conſiſtentiam indureſcit . Malpighius primò ſtatuit, dicta ramenta ferruminari ab acidis , ut clarè habet in præcitati Operis pag. 61. *Hunc itaque* ( intelligit Polypum ) *non raro in Cordis ventriculis , & præcipuè in dextro , & appenſis vaſis excitari, habui, in melancholicis , lue venereâ affectis, reliquiſque, in quibus coagulativi, acidique ſales luxuriant. Hos autem à minimis fibrarum inchoamentis fieri ab acidis quaſi ferruminantibus , conjectavi , deficientibus inſuper volatilibus particulis ab aere communicatis , quibus debita ſanguinis fluiditas conciliatur, & manutenetur* . Deindè ſeq. pag. 62. videtur perpetuum acidi concurſum rejicere , dum ait , quòd *ipſæ fibræ ſolâ implicatione , vel ferruminatione mediis acidis quieſcendo concreſcant :* & paulò ſupra loquendo de fibris ſanguinis, quòd *probabiliter, ceſſante motu locali, & inteſtino, implicatione in ſolidum corpus compaginantur, & concreſcunt* .

*Polyporum à ſalis ſpiritu diſſolutio : D. Lancifii experimentum.*

IX. Vix autem ſcio, quid de acidi concurſu ad formationem Polypi nobis ſit ſtatuendum , ſi ad experimenta D. Lancifii , Viri Solertiſſimi attendamus . Polypos etenim cum ſpiritu ſalis actu calente per duos, tres-ve dies in B. M. infuſos in fluidam abire ſubſtantiam , animadvertit ; Hinc eos à crudo ſulphure , & ſale alckali multo phlegmate enervato excitari, arbitratur ; ideòque fieri etiam poſſe , ut à vini ſpiritu majorem aliquandò firmitudinem acquirant ; Id ſanè expertum eſt, quòd idem ſpiritus in ſanguinis ſero coagulum quoddam inducit .

OB-

# OBSERVATIO XXXII.

*Diaphragmatis, & Jecoris vulnus. Copia incorrupti ſanguinis in cavitate Abdominis. Bilis in Cyſtide nulla.*

I. MIliti inflictum fuit vulnus ad octavam dextri lateris coſtam. Toto morbi decurſu vix febriebat. Calor mitiſſimus erat: ſpiratio non admodùm difficilis. Die vj. vermes vomuit, factoque pulſu formicante mortuus eſt die vij. *Hiſtoria.*

II. Cadaveris aggredimur Sectionem. Trajectum gladio Diaphragma, altèque vulneratum Jecur deprehendimus, cum enormi effuſione incorrupti ſanguinis in cavitate Abdominis: omninòque vacuam bilis Veſiculam. *Cadaveris inſpectio.*

## *SCHOLIUM.*

III. QUoniam extra vaſa effuſus ſanguis moram facere in vulnerato viſcere vix poterat, ſed aſſiduè in Ventrem percolabatur: ideò calor remiſſus, & leviſſima febris veriſimiliter aderat; Solet enim ardor ſummus, & liquidorum tumultus excitari, cùm retentus in vulnere ſanguis alteratur, atque corrumpitur, ejuſque portio recirculantibus liquidis continenter permiſcetur. Servari autem in tanto Ventris ſpatio incorruptum ſanguinem poſſe, non adeò mirum eſt. Sæpiùs idipſum accidiſſe, ſcimus. Corruptio longè facilior eſt in coacervato ſanguine, quàm diffuſo, & fluctuante: in anguſto & obſeſſo loco, quàm libero, & amplo. Notum illud eſt *Sanguis extra vaſa effuſus quando ſervari incorruptus faciliùs poſſit.*

Avi-

Avicennæ monitum, viſcida nempe ſuppurantia eſſe adhibenda, viſcida, inquam, ut omni aditu intercluſo, in ipſiſſimo loco, ne latiùs vagetur, humor cohibeatur, unoque motu inteſtino, & corruptivo tacitè perturbetur, non alio motu, qui eum invertere valeat, exagitetur, aut diffluat.

*Hepaticus ſanguis extra vaſa effuſus difficiliùs corrumpitur.*

IV. Sed ne peculiarem quidem cauſam ſilebo, cur dierum ſeptem ſpatio ſanguini extra venas corruptio nulla acciderit. Conjecturam liberè venditabo, quoniam hic non infrequens Philoſophorum ſermo eſt. Sanguis ille, qui totus ferè è vulnerato Jecore emanabat, compoſitus præſertim erat ex ſanguine ramorum venæ cavæ, & ſanguine Portæ. Hic bilem ſeſe jam extricantem, exerentemque aculeos continet, ut ex Anatomicis noſtris conſtat: ille verò in caſu expoſito inſignem adhuc copiam bilis retinebat; quandoquidem vacua prorsùs fellea Cyſtis reperta eſt, interceptæ ſecretionis ex Viſceris vulnere, & intemperie indicium. Itaque potuit in Ventre diffuſus ſanguis ſinè corruptelâ ſervari, quia ex retentæ bilis copiâ amaricans. Valere autem amaritiem bilis adversùs coagulum, atque putredinem, Medici non pauci opinantur; Hinc ejuſdem penuria in viis cibariis anſam dediſſe Vermium generationi videretur, niſi obſtaret inteſtinalium lumbricorum in inteſtinis minimè familiaris productio. Culparem potiùs certam illam, inſolentemque caliditatem Stomacho, & Inteſtinis à ſanguine extra venas illatam: Qui fomes, ni fallor, excludendis lumbricorum ovulis aptiſſimus extitit.

*Generationis inteſtinalium lumbricorum ſingularis cauſa.*

*Ex vulnere ad octavam coſtā*

V. Quanquam verò Diaphragma vulnere affe-

ctum

ctum eſſet, ſpirandi difficultas non maxima contigit; nam & illæſus erat Pulmo, & quæ copioſum ſanguinem cavitas excepit, non ea fuit Pectoris, ſed infimi Ventris cavitas: non tam ex plagâ Reſpiratorii Organi, quàm Jecoris. Pulſum quidem oportebat ſenſim fieri minorem, factâ gradatim minori copiâ ſanguinis in vaſis: donec tam minima eſſet, ut eliciendis ſpiritibus, animando Cordi, implendis arteriis impar formicationem potiùs, quàm pulſum excitaret. *penetrante cur ſpiratio non admodùm difficilis.*

# OBSERVATIO XXXIII.

*Pericardii, & Cordis Vulnus. Multum puris in Pericardio.*

I. MIles gladio læſus in regione Cordis Taurinum transferri è Sabaudiæ Oppido curavit. Aſſiduus Cordis tremor, & frequens lipothymia non levem conjecturam vulnerati Cordis faciebant. Tres interim dies & viginti victitavit: quæ quidem diuturnior tolerantia infirmare metum ſaucii viſceris videbatur: Magno itaque ſtudio ventum eſt ad Cadaveris Inſpectionem. *Hiſtoria.*

II. Occurrit primò Pericardii ſuperiore parte læſio, eoque diſſecto inſignis copia albicantis puris emanavit; jamque exteriores Cordis fibræ putreſcebant. Sed ad ipſum Cor ictus pervenerat, leviſſimèque in dextram cavitatem penetraverat. *Thoracis inſpectio.*

SCHO-

## *SCHOLIUM.*

III. HIc ea ſunt repetenda, quæ in Scholio xvij. Obſervationis expoſuimus. Adde, quòd gladii cuſpis vix attigit Cordis ventriculum; unde guttatim emanans ſanguis magnâ copiâ congeri in Pericardio niſi ad multum temporis ſpatium minimè potuerat; quâ de causâ potuit ſerior mors vulnerato contingere. Qui porrò ſanguis in Capſulâ colligebatur, partim à ventriculo prodibat, partim à carneo pariete Cordis; Aliquis etiam è Pericardii plagâ veriſimiliter in cavitatem defluebat. Sic in putridam degeneravit materiam, à quâ ſenſim exterioribus Cordis fibris putredo inducebatur; Hinc etiam eruitur tremuli Cordis, & lipothymiæ, quæ non una fuit in ipſo vulnere, cauſa; Si enim tam ſenſilis erat in ambitu Cordis, fibriſque ejus carneis alteratio, tantaque acredo, atque corruptio cumulati cruoris in Pericardio, fieri vix poterat, quin ſpaſmodici motus in muſculo Cordis, ſummèque turbati, & inæquales, unde tremor ejus, & languor, excitarentur. Quod ajunt, & nos ipſi meminimus, aliquandò proritato ſic Corde nequaquam has ſequi mutationes, perrarum illud eſt; Nihil enim nobis obſervandum accidit frequentius, quàm perturbatio motionum Cordis levi de causâ, aut multiplici ſtimulo vellicati. Patet in Sectione Brutorum. Carnem Cordis, vel calido afflatu, vel frigidæ inſperſione, vel acris liquoris contactu, vel cuſpide acûs ſtimulatam, crebrò, inæqualiter, vehementer contrahi, convellique, animadvertimus.

*Corde vulneratus cur ad diem 23. vitã produxerit.*

*Tremor Cordis, & lipothymia.*

*Caro Cordis à multiplici ſtimulo contrahitur, convelliturque.*

# OBSERVATIO XXXIV.

*Inſolita Cordis magnitudo. Pulmonis, & Lienis ſubſtantia inſtar liquaminis ſoluta. Cranii craſſitudo cum inconſpicuis ferè ſuturis. Pia mater duræ matri ſimilis.*

I. VIr maturæ ætatis incidit in febrem, quam pro ſimplici Tertianâ non continuâ junior Medicus habebat. Senioris conſilium quæritur, qui phlebotomiam imperat. Mox tenui, ut videbatur, conſulens naturæ mite pharmacum, quo placidè venter ſolvatur, commendat. Corpus ad ulteriorem purgationem diluentibus præparatur. Purgatur demùm; Dejectio multa ſequitur, & virium concidentia. Ecce Hominem ſubitaneo correptum delirio! en brevì ſimilem Apoplectico! Mortuum vident, qui vix febricitantem pridie crediderunt. *Hiſtoria.*

II. Familiares tam inopinâ re perculſi Inſpectionem ſollicitant. Advocor ego: interveniunt Multi. Lividi Corporis intensè rubentes genas obſervo. Pectus aperiri cupio, in quo ſani Cordis grandior moles occurrit: talis verò, tantaque putredo Pulmonis, ut colliquatus jam eſſet, nihilque præter liquamen in propriâ membranâ, tanquam ſacculo contineretur; hoc enim reſciſſo craſſiuſcula amurca ſanguini permiſta, atra, fœtida percolabatur. Infimi Ventris cavitas nihil morboſi præter Lienem Pulmoni non abſimilem exhibebat. *Medii ventris, infimique inſpectio.*

III. Ad Cerebrum nos contulimus, ac primò Cranium, dum ſerrâ auferebatur, craſſiſſimum eſſe, advertimus, cujus veſtigia ſuturarum vix digno- *Inſpectio Capitis.*

gnoſcebantur. Durâ matre revolutâ, pia ſe ſe obtulit mater tam craſſa, tam denſa, ut vix differre, aut ne vix quidem à durâ videretur. Craſſitudo alterius meningis effecerat, ut ipsâ penitùs (quod erat facillimum) remotâ, Cerebri anfractus elegantiores conſpicerentur; amplioribus enim ſulcis diſtincti apparebant, licèt immoti manerent, nec digitis divellerentur.

## *SCHOLIUM.*

IV. CRaſſitudo Cranii, obſcuritas ſuturarum, piæ matris denſitas, magnitudo Cordis nihil ad hunc morbum, nihil ad mortis cauſam pertinere videntur. Optandum eſſet, ut pulsûs, urinæ, reſpirationis indicia haberentur, quæ in Relatione deſunt. Suſpicari quidem fas eſt de morboſo virium collapſu; qui tenuis naturæ ſpecie Medentibus forſitan impoſuit. Ac ea imbecillitas ex altero levi pharmaco contingens de morbo vires obruente nimiam ſuſpicionem inducit. Prava, meo judicio, ſub Tertianæ ſimplicis larvâ latebat febris: Malignam dicamus. Acerrimum quoddam, ſanguinemque ſolvens fermentum antequàm Cerebrum peteret, alia viſcera offendit: &, quod profectò rariſſimum eſt, colliquavit. Hinc ſpiritus inquinati, pauci, turbati, ac tandem prorsùs inertes, vapidi, deficientes delirium primò, mox lethalem ſoporem pepererunt. Ad quæ poſtremò excitanda ſymptomata quanquam enarrata Cranii craſſitudo, ſuturarum obſcuritas, piæque matris denſitas faciliorem aditum præbere morbifico humori potuerint; ſequi tamen ſinè his Ægrotantis interitum debuiſſe, manifeſtum eſt.

V. Eo-

V. Eorum ſanè, qui Medicâ Praxi exercentur, perpaucos eſſe, putaverim, quibus inſolens morborum vel tumultus, vel malitia fallaciam aliquandò non intenderit, ſive quòd citiùs, ſive quòd ſeriùs timuerint. Uterque gravis, hic verò graviſſimus error. Morbi quidam ingenti ſtrepitu repentè invadunt vix ullo Ægrotantis periculo, nimioque Medici metu, qui magna tunc præſidia intempeſtivè, ac perperam adhibuerit. Alii tacitè pullulant, lentè ſerpunt, blandiunturque Medico, denique ingraveſcunt, & Ægrotantem interimunt. Magnâ, mehercule, ſolertiâ, & contentione utendum. Ægri natura, & habitudo pernoſcenda. Conſueta ab inſuetis diſtinguenda ſunt. Sæpè etiam fallunt ſpecies, & ſimilitudines. Rerum vultus mentitur. Cautè opinandum, nec audacter, nec timidè. Ingenio, ratione, judicio opus eſt; ſed omnium caput eſt experientia.

*Morborum quorundam tumultus, aut malitia Medicos fallit.*

VI. Cæterùm de magnitudine Cordis hìc aliquid videtur dicendum, quandoquidem fuit à nobis multoties, & ab aliis obſervata. Ea in mentem redit Lanciſii Experientiſſimi Obſervatio, qui in Juvene triplò naturali majus Cor, majus etiam vaccino reperit. Duæ verò, meâ ſententiâ, præcipuæ ſunt cauſæ, quibus poteſt magnitudo Cordis augeri: Polyporum nempe in ejus ſinibus exiſtentia: vel quidquam ſive polypoſum, ſive alterius naturæ in arterioſis canalibus contentum, preſſione quadam jis advolutum, aut earum extremis appoſitum.

*Humanum cor vaccino majus à D. Lanciſio repertum.*

*Cordis moles augetur duabus præſertim de cauſis.*

VII. Sint primò polypoſæ in ventriculis concretiones: Quoniam ſanguis non placidè, lentèque ab alveis venarum, & auriculis defluit, ſed

*1. ratione polyporum.*

N 2 illi-

illicò in Cordis ſinus protruditur: Igitur in quacunque Cordis diaſtole impetus fit ad internos parietes à ſanguine ipſo projecto. Vis autem iſta propulſi liquidi vix ulla eſt, aut modica ſaltèm in latera Cordis, quandò vacui ſunt ventriculi; infringi enim in ipſo ſpatio inani, ac veluti extingui videtur. Sed impeditâ à Polypis cavitate, manifeſtum eſt, totum penè in ſolida impetum terminari: qui licèt magni eſſe momenti nequaquam videatur, ſive breviſſimum temporis ſpatium, quo ab auriculis, & venis mittitur ſanguis in Cor, ſive reſiſtentia craſſorum parietum maximè ſpectetur; tamen non exigui ſanè ponderis ille idem cenſendus eſt impetus, ſi millies, ac millies repetitus in eoſdem parietes perpendatur. Ac ea eſt impetus indoles, ut ingentes habeat in frequentiâ, & celeritate vires. Minùs quidem ſcimus diuturno premitu ſumma pondera præſtare, quàm uno, penè dixerim, momento vis Percuſſionis valeat crebris præſertim repetita vicibus efficere. Atque hinc una jam patet cauſa diſtractionis parietum Cordis, ſubindèque adauctæ magnitudinis.

*2. ob aliquid arterias obſtruens, vel comprimens.*

VIII. Sit aliquid ſecundo loco in canalibus arterioſis, vel ad extrema eorum oſcula liberum ſanguinis fluxum intercipiens: Cùm nunquam contrahi cor deſinat, ſanguinemque in arterias impellere: Igitur occurrente in his remorâ, fiet quidam ſanguinis reniſus in Cor: implebitur utraque coronaria repulſo cruore Aortæ, recipietque caro Cordis uberiorem ſuccum nutritium, laxabunturque ſemi-lunares valvulæ. Quamobrem in unaquaque Cordis diaſtole fiet conſuetus ſanguinis impetus in Cor per auriculas, & venarum trun-

cos: ſimul etiam ſuperadditus ille ex tubis arterioſis refluxus in ipſum Cor; ideòque dilatatio ventriculorum, & totius Cordis ampliatio magìs, magìſque induci debebit.

# OBSERVATIO XXXV.

*Cerebri vulnus. Nullus in eo ſanguis effuſus.*

I. VIr ſtrenuus ad pugnam cum altero venerat. Hunc tereti, acutoque inſtrumento ferit ad internum oculi angulum. In cute vulnus quaſi phlebotomo factum relinquitur. Heu miſer! confeſtim vertiginoſus cadit. Chirurgum advocant, qui attonitus hæret, levem plagulam dum cernit, videtque jacentem Ægrum, delirantem audit. Explorat ſtylo: parvitas vulneris prohibet; hinc primo, ut vocant, apparatu conſulit Patienti ſuo; Quidquid evenerit, præſtò eſt Chirurgus, dum is in Noſocomium traducitur. Ibi res pejùs cadit; Æger delirio fremit. Vena aperitur ſemel, iterùmque. Convulſiones delirio ſuccedunt, membraque ſpaſmodicis motibus exagitantur. Die XIV. convulſus moritur. *Hiſtoria.*

II. Accerſit me Capitis Sectioni Chirurgus. Oculus ab inſtrumento abraſus, tumiduſque apparuit, quod Orbitæ laminam, ipſumque Cerebrum penetraverat. Mirum verò, quòd ne gutta quidem ſanguinis extra vaſa reperiretur. *Capitis inſpectio.*

SCHO-

## SCHOLIUM.

*Orbitæ læſionem læſio cerebri facilè ſequitur.*

III. QUicunque Capitis Oſteologiam callet, minimè mirabitur, ex inflicto in Orbitam ictu facilè Cerebrum offendi potuiſſe; parùm quippe obſtat tenuis concameratio Orbitæ. Vertigo, deſipientia, convulſio Cerebri, & membranarum ejus læſionem haud raró ſequuntur. Quòd

*In parvo cerebri vulnere vix ulla effuſio ſāguinis.*

verò non ante quartam diem ſupra decimam Homo perierit, cauſa fortaſsè non minima fuit in vulnerato Cerebro modica ſanguinis effuſio, aut, ſicuti ex Diſſectione conſtat, ad ſenſum nulla; Quod ego quidem arbitror de effuſione in Cerebro, non circa membranas, intelligendum eſſe.

IV. Accidit mihi aliquandò, ut conico cuſpide chalybei ſtyli digitum ſiniſtræ manûs meæ incautè, altèque ferirem: tamen retracto ſtylo ne gutta quidem ſanguinis erupit. Fimbrias ſic ego pu-

*Quomodò id accidere potuerit.*

tavi invicem fuiſſe coaptatas, ut cruoris guttulæ minorem obicem in fibris, & vaſculis ad circulationem, quàm ad effluxum in plagulâ invenerint. Neque aliter conjecerim in vulnuſculo Cerebri accidere potuiſſe. Intereà, ut ego torquebar ex incruento digito meo, potuit hic pariter vulneratus ex analogo Cerebri ictu ſinè hæmor-

*Varia, atque mirifica ſunt, quæ vulneratis Cerebro, & nervis ſuperveniunt.*

rhagiâ dolere primùm, hinc convelli, inſanire, ac tandem mori. Ea eſt humani Capitis, ea Cerebri, & nervorum conditio, ut ex magnâ, & evidenti læſione interdùm convaleſcant Ægri, minimâ moriantur, aut diu, graviterque crucientur. Noveram ego Militem, qui ad inter-

*Vulnus ad internum oculi angulum hemiplegiam attulit.*

num Oculi angulum ex acuto gladio vulnus receperat. Incidit in viſûs imbecillitatem, & (quod mirabile eſt) in levem, conſtantemque Hemi-

ple-

plegiam ; ſic ad multos annos inertem vitam perduxit.

V. Ad noſtram quod pertinet Hiſtoriam, mirari ſatis nequeo, quòd ex minimâ læſione, imò levi tantùm perforatione Cerebri, quæ percipi ſenſibus vix poterat, quæque non effuſionem ſanguinis, non purulentam materiam, non corruptionem ſubſtantiæ induxerat, ſtatim excitata fuerit Vertigo, prolapſus Æger, idemque inſanierit, & perierit convulſus. Quare iterùm dicamus, nihil in Chirurgiâ fallacius, nihil inſolentius, quàm Capitis, Cerebrique læſiones accidere. Meminimus in Obſerv. noſtrâ IX. notabilis fracturæ parietalis oſſis ex ingenti Trabe ab alto cadente: quanquam die vij. mortuus Homo fuerit, & inflammatas Meninges, corruptumque Cerebellum Sectio Cadaveris oſtenderit; nulla tamen adfuit febris, nullaque, niſi paucis ante obitum horis, deſipientia. Memoriâ quoque tenemus Hiſtoriam, quam in calce Libelli ſui de Glandulis ad virilem Urethram detectis Clariſſimus habet Terraneus: Quidam Capite læſus, die xxij. mortuus eſt. Supra piam matrem, & Cerebrum ad baſim uſque dextri Hemiſphærii fœtidiſſimum pus exundabat: intereà xx. ab inflicto vulnere dies nullo vexatus Æger ſymptomate vixerat. Quæ à multis inſuper Scriptoribus longè his rariora commemorantur, hìc reticere brevitati ſtudentes volumus; E quibus tamen inferendum nobis videtur, Cerebrum partem Hominis eſſe, cujus obſcura adhuc ſtructura, obſcuriores morbi, obſcuriſſimæ functiones perpetim Philoſophorum, atque Medicorum torquebunt ingenia.

*Iterùm notantur fallaces, inſolenteſque capitis læſiones.*

*De fœtidiſſimo pure ſupra piam matrem, & cerebrum D. Terranei obſervatio.*

*Obſcura cerebri ſtructura, obſcuriores morbi, obſcuriſſimæ functiones.*

OB-

# OBSERVATIO XXXVI.

*Serum in Thoracis , & Abdominis cavitate purulentum . Inteſtinorum ſuperficies eroſa .*

*Hiſtoria .*

I. ADoleſcentulæ ultra diem vigeſimam acuta febris perducta eſt . Capite dolebat, ſed inſomnis non erat: Tuſſiebat, ſed nihil educebat: De dolore Pectoris, maximèque infimi Ventris conquerebatur . Eâ ipsâ die , quâ periit, aliquot ſpatio horarum pulſus fuit abolitus, poſteà formicantem tetigimus. Eductus è venâ ſanguis , atque refrigeratus tenaciſſimam gelatinam exhibuit .

*Inſpectio medii , & infimi ventris .*

II. Diſſecto Cadavere, utramque Thoracis cavitatem purulento refertam ſero invenimus ; eodem infimus quoque Venter inficiebatur . Inteſtinorum ſuperficiem eroſam paſſim deprehendimus .

## *SCHOLIUM.*

III. TUſſiebat Adoleſcentula , Pectore dolebat , nihil tamen exſcreabat ; Itaque vel in pulmonalibus bronchiis materies nulla , vel extremè viſcida , & tenax continebatur . Sed tanta in febriente viſciditas humoris , ut nulla ejus portio extrahi per tuſſim poſſit, cùm rara nimis ſit , infartique Pulmonis nulla fuerit mentio in Relatione facta , ideò inanes fuiſſe bronchiales tubos, crediderim. Dolor autem Pectoris , & ipſa tuſſis ab effuſo in cavitatem purulento ſero veriſimiliter excitabatur ; quandoquidem ab eo ipſo , quod in Abdomine fluctuabat , eroſam Inteſtino-

*Tuſſis, & dolor pectoris à purulento ſero in cavitatem ejus effuſo .*

rum

rum ſuperficiem fuiſſe, conſtat; unde etiam dolor in hoc ventre percipiebatur. Putrida igitur hæc potuit materies Diaphragma, Pleuram, & Pulmonis membranam ſic afficere, ut doloris ſenſum, tuſſiendique ſtimulum induceret.

IV. Sed non ità facile videtur eas partes, è quibus purulentus humor in ſingulas cavitates ſero permiſtus effluxerit, indicare. Conjecturis, ut ſæpè cogimur, hìc nobis ludendum eſt. Exiguas non raro puſtulas oriri in cute, in labiis, in cavitate oris animadvertimus: cur fieri id ipſum in Pulmonis membranâ, in Pleurâ, in Peritonæo nequaquam potuerit? Singulæ porrò hæ membranæ meatibus innumeris ſunt perviæ, qui ſeroſum humorem emittunt, quique illis affectis uberius forſitan ſerum profuderunt; Hoc puri permiſtum in cavitatibus congeſtum eſt, & affectiones peperit, quæ ſuperiùs enarrabantur. Præceps Inſpectio Cadaveris diligentiorem partium indagationem potuit prohibere. Conjecturæ interim favere non parùm videtur, aut blandiri ſaltèm Obſervatio olim noſtra, quam memoriâ tenemus, de Puſtulis ſemel in Pleurâ, atque Peritonæo deprehenſis; neque tamen meminimus, an quidquam purulenti humoris repertum in Ventribus fuiſſet.

*Origo puris, & ſeri depluentis in cavitatem thoracis, & abdominis indagatur.*

*Puſtulæ in pleurâ, & peritonæo ab Authore deprehenſæ.*

# OBSERVATIO XXXVII.

*Aqua in infimo, medioque Ventre. Magni Lienis involucrum amplioribus poris refertum. Cor copioſæ innatans lymphæ, in ſuperficie mollius-culum, cum albicantibus maculis, &c.*

*Hiſtoria.* I. JAmdudùm Civis Taurinenſis ætatis non nimiùm provectæ, difficilis anhelitûs moleſtiâ tenebatur. Non magìs tumidum, quàm par erat, Abdomen videbatur. Dum ſe in ſiniſtrum Æger devolvebat latus, in eoque manebat, grave quiddam in Pectore, obtuſo quidem ſenſu, percipiebat. Poſteà inflari œdematoſè dextrum brachium cœpit, Abdomen intumeſcere. Acceſſit febricula. Reſpirandi difficultas plurimùm eſt adaucta. Denique præfocatus interiit.

*Ventris infimi inſpectio.* II. Infimus primò Venter cùm in Cadavere aperiretur, effluxit aquæ flaveſcentis portio, quæ in cavitate ejus copioſa continebatur. Hepar liveſcens tantùm apparuit, non grandius, non durius. Paucam bilem, ſed viſcidiſſimam Cyſtis habebat. Lien mole ſpectabilis erat, craſſiſſimoque turgens ſanguine. Ejus involucrum perluſtrantes, majuſculos undique poros levi corrugatione procuratâ deprehendimus.

*Medii ventris inſpectio.* III. Cavitas utraque Thoracis, ac præſertim dextra multum ſeri continebat. Aderat etiam lymphæ copia in Pericardio. Cordis in toto ambitu molliuſcula ſuperficies levi tactu dignoſcebatur, variiſque in locis albicantes oſtentabat maculas. Amplior, & ſanguine tumens dextra auricula occurrit, & in dextro ventriculo grandis concretio polypoſa.

SCHO-

## SCHOLIUM.

IV. EX Hydrope Pectoris paulatim adaucto difficilis reſpiratio ſenſim major facta eſt. Sed gravius quidquam Æger ad ſiniſtrum latus cubando perſentiebat, quia copioſior aqua dextram implebat cavitatem, ſimulque in Pericardio abundans gravitatis ſenſum augebat. Huic enim minùs ſiniſtra reſiſtebat cavitas, quàm dextra, ut patet. Adde inſignem concretionem polypoſam dextri ventriculi: adde grandiorem, turgentemque dextram auriculam; Singula hæc dextrarum partium gravitationem, devoluto Ægrotantis corpore ad ſiniſtrum latus, efficiebant. Præfocatus denique interiit, partim ob copiam prementium Pulmones aquarum, partim ob Polypi magnitudinem, quâ ſanguinis circulus inrercipiebatur.

*Decubitus in ſiniſtro latere cur gravior.*

V. Hepatis molem non auctiorem in Hydropico, non duriorem fuiſſe conſiſtentiam, perrarum eſt, præſertim cùm tantus ſanguis, craſſiſſimuſque in tumidiori Liene, tamque viſcida bilis in Cyſtide contineretur. Sed nihil eſt in naturâ mirabilius, nihil in morboſis Corporibus frequentius, quàm varietas ipſa rerum, & inſolentia, quarum quidem cauſæ ſunt obſcuriores. Fieri poteſt, ut præpeditus, quâcunque ratione, ſanguinis per venam ſplenicam fluxus ad Hepar fuerit, ideòque ex minori cruoris confluente copiâ Jecur non intumuerit; Quare laxata Lienis compages multùm inflari debebat, tantumque ſanguinem, craſſiſſimumque admittere, & retinere. Laxitas nimia involucri effecit, ut aperirentur anguſtiores pori, & ſpectabiles evaderent. Ex his

*Cur lienis magnitudo, non jecoris, fuerit adaucta.*

*Cur in membranâ lienis ſpectabiles pori.*

equidem potuit notabilis ſeri portio in cavitatem depluere.

*Superficies cordis molliuſcula cum albicantibus maculis.*

V. Partium proclivitas ad laxitatem contrahendam in Corde ipſo, cujus firma cæteroquin conſiſtentia eſt, luculenter apparet. Facta eſt enim ex aquâ Pericardii copioſiore ſuperficies ejus adeò tenella, ut leviori tactu inſolita mollities perciperetur. Albicantes maculas gelatinoſi portiones ſeri in ambitu Cordis efformaverunt, quæ fieri in ſuperficie laxioris viſceris, ubi lymphatica propagantur vaſa, facillimè potuerunt.

# F I N I S.

IN-

# INDEX
## RERUM NOTABILIUM,
### *IN QUO*
### Prior numerus Obſervationem, poſterior Paragraphum ſignificat.

A

ABdominis dolor. 36. 1. à quâ causâ. 36.3.
Abſceſſus in Pericardio. 31. 2.
Amarities bilis adversùs putredinem, & coagulum valere putatur. 32. 4.
Aorta flumini comparatur. 1. 9.
Aneuryſma arteriæ magnæ paulò ſupra iliacas. 1. 2. ejus cauſa à polypis. 1. 5.
Aneuryſmatum magnorum tunicæ fiunt alicubi cartilagineæ, & calloſæ. 1. 10. Eorum communis origo indicatur ex D. Lanciſio. 1. 11.
Aneuryſmatis folliculus perpetim emittit ſubtilem, acremque ſaniem, ex D. Lanciſio. 1. 11.
Aneuryſmatis cum Corde comparatio. 1. 10.
Animi deliquium frequens occaſione polyporum arteriæ magnæ. 1. 7.
Aqua in Thorace, & Abdomine. 12. 2. in pericardio copioſa, & crocea. 15. 3. in pericardio cur nulla. 22. 4. in cerebri ventriculis abundans. 25. 1. hæc ſæpè morbi effectus eſt, non cauſa. 25. 5.
Aqua in cavitate Abdominis. 28. 2. in pericardio purulenta, & cordi infenſa. 28. 3. in dextrâ thoracis cavitate. 29. 2. in infimo ventre. 30. 2.

in

in Pectoris cavitate copioſa. 30. 3. in Abdomine multa, & flaveſcens. 37. 2. in Thorace. 37. 3. in capſulâ Cordis abundans. *ibidem*.

Atrabilaria corpora ſalinum quidquam, & auſterum ſæpè continent. 3. 6.

Avicenna citatus in Obſerv. 32. §. 3.

Auricula Cordis dextra varicoſa ventriculo æqualis. 8. 2. enormiter expanſæ rarum apud P. Dionis exemplum. 8. 6. dextra varicoſa. 22. 3. cauſa dilatationis. 22. 9. dextra multò amplior magnos continens polypos. 30. 3. dextra grandior, & ſanguine tumens. 37. 3.

B

Bilis in cyſtide nulla. 5. 2. flavo ſanguinea in veſiculâ. 13. 2. viridis. 15. 2. pauca, & liquida inſtar picis in cyſtide. 20. 2. cur pauca fuerit. 20. 2. purulenta, aut potiùs verum pus, ex Obſ. D. Lancisii. 20. 4. pauca in veſiculâ, & viſcidiſſima. 37. 2.

Bilis vitium in cyſtide nonnullorum ſæpè morborum etiam gravium origo. 20. 4.

D. Blancus (Jo: Bapt.) cit. in Obſ. 21. §. 5. Obſ. 30. §. 4.

Bohnius (Joannes) cit. in Obſ. 31. §. 6.

Boyle (Robertus) cit. in Obſ. 29. §. 10.

Borellus (Jo: Alph.) cit. in Obſ. 29. §. 10.

Borrichius (Olaus) cit. in Obſ. 28. §. 3.

C

CÆcum inteſtinum, &c. *vide* Colon.

Capitis morbi explicatu difficillimi. 9. 4.

Capitis, & Cerebri læſionibus, nihil in Chirurgiâ fallacius. 35. 5.

Capitis percuſſio ab ingenti trabe ex alto cadente. 9. 1.

Cerebrum flavo humore in-

infectum. 3. 2. quare. 3. 5. ſimiliter in phrenetico, cum flaccidâ ejus ſubſtantiâ, corruptionique proximâ. 11. 2.
Cerebri portio ſupra nervos opticos corrupta. 25. 2. Subſtantia medullaris duriſſima. 20. 2. conjecturalis ratio indicatur. 20. 6. Cerebri excreſcentia veluti fungoſa. 26. 1. Cerebri vulnus. 35. 1. Cerebri obſcura ſtructura, obſcuriores morbi, obſcuriſſimæ functiones. 35. 5.
Cerebelli corruptio cranii fracturæ ſuccedens. 9. 2.
Chirurgi imperitiæ, aut temeritatis funeſtum exemplum. 26. 1.
Cibi per Œſophagi canalem difficilis tranſitus. 24. 1. quâ de causâ. 24. 3.
Circulator quidam immodici ponderis ſaxum fune capillis alligato elevabat. 11. 1. idem phreneticus validiſſimam januam ferramentis munitam vi brachiorum fregit. *ibid.*
Colicæ ſpecies inſanabilis. 2. 6.
Colon inteſtini portio inſolitæ magnitudinis. 10. 2. etiam Cæcum. *ibid.* Caro morboſa inter utriuſque tunicas concreverat. *ibid.* eadem corrupta gangrænam induxerat. *ibid.*
Colon in cellulas minimè diſtinctum. 10. 2. quâ de causâ cellulæ evanuerunt. 10. 9.
Colon devolutum in hypogaſtrium. 18. 2. quale hinc ſequi detrimentum debebat. 18. 3.
Convulſio in infante lethalis. 20. 1.
Convulſivi affectus ex herniâ Cerebri. 26. 7. ex cerebri vulnere. 35. 1.
Cor in ſuperficie alteratum à putrido humore pericardii. 4. 2. inſolitæ cor magnitudinis dextrum pectoris latus unà cum pulmone penitùs occupans. 5. 2. albicantibus variegatum maculis. 7. 2. qualis harum materia. 7. 6.
Cor magnum, non ſubro-

rotundum, ſed depreſſum, & planum. 8. 2. exteriùs purulentum. 16. 2. ad baſim vulneratum. 17. 1. in ambitu ſuo plurimis exeſum ulcuſculis. 22. 3. ex diſrupto abſceſſu eroſum. 28. 2. cur aqua pericardii limpida eſſet. 28. 4. Cor membranâ ſpoliatum, & in ſuperficie ſuâ eroſum à purulento pericardii ſero, ex Obſ. Borrichii. 28. 3. inſolitæ cor magnitudinis. 29. 2. vulneratum. 33. 1. vixit Miles ſauciato Corde dies 23. *ibid.*

Cordis moles plurimùm adaucta. 7. 2. ſubſtantia duriſſima, ac ferè ſcirrhoſa. *ibid.* inflammatio, & durities quomodò inducatur. 7. 6. dexter ventriculus naturali longè amplior. 19. 2. ſiniſter cur craſſiores habeat parietes. 19. 3.

Cordis monſtroſa magnitudo. 22. 3. ſuperficies alterata, cruſtâque albicante tecta. 31. 2. exteriores fibræ putreſcentes. 33. 2. caro cordis è vivo animali extracti à variis ſtimulis proritata contrahitur, convelliturque. 33. 3. magnitudo cordis naturali major. 34. 2. talis frequenter obſervatur. 34. 6. triplò naturali major à D. Lanciſio obſervata. *ibid.* Cordis moles augeri poteſt propter polypos in ventriculis contentos. 34. 7. vel propter aliquid anguſtans arterioſos canales. 34. 8. molliuſcula cordis ſuperficies. 37. 3. quare. 37. 6. maculæ albicantes. 37. 3. ex quâ materiâ factæ. 37. 6. membranæ, & ſubſtantiæ cordis alteratio quomodò contingere poſſit ſinè multo dolore. 28. 5.

Corde vulnerato vix ullus ſanguis poteſt in diaſtole effluere. 17. 2. vulnerato cono magìs effluet, quàm è medio pariete proportionaliter, & à medio pariete magìs, quàm è latere baſis. 17. 4. & ſequentib. §.

Cor-

Corde vulneratus cur ad dies 17. vixerit. 17. 8. Pericardio, & Corde vulneratis cur nihil ſanguinis, nihilque puris fuerit in cavitate capſulæ repertum. 17. 9.
Coronaria vaſa turgidiſſima. 7. 2.
Coronariam arteriã vidit Author naturali multò majorem, durioremque, veluti oſſeam. 11. 7.
Cranium craſſiſſimum cũ ſuturis vix apparentibus. 6. 3. *item* craſſiſſimum. 34. 3.
Cutis univerſa, potiſſimùm faciei, ictérica. 11. 2.
Cyſtis fellea, *vide*, Veſicula biliaris.

D

DEcubitûs Ægri in dorſo, & lateribus difficilis, cauſa. 22. 5. utcunque difficilis, ſingularis ratio exponitur. 31. 4. decubitus in ſiniſtro latere ponderis ſenſum inducens. 37. 1. cauſa inquiritur. 37. 4.
Deliquium animi, *vide*, Animi deliquium.
Delirium vulnerato cerebro ſuperveniens. 35. 1.
Diaphragma in centro nerveo inflammatum in phrenetico. 11. 2. vulneratum. 32. 2. eroſum occaſione hepatici abſceſsûs, ex Obſerv. D. Blanci. 21. 5. diſruptum, ubi tranſitum Œſophago præbet. 23. 2. non trajicitur ab Œſophago in parte nerveâ. 23. 4. duplex diaphragmatis muſculus. *ibid.*
Dionis (Petrus) auriculam cordis dextram enormiter dilatatam icone exprimi curavit. 8. 6.
Dolor fixus circa medium ſternum aliquandò ſignum eſt inflammati cordis. 7. 6. in ſterno quâ de causâ excitatus. 22. 4.
Ductus cyſticus ob craſſitudinem membranarũ impervius. 12. 2.
Ductus wirſungianus lymphâ plenus. 8. 2. quâ id fieri ratione potuerit. 8. 4.
Duodeni inteſtini in ſupe-

periore ejus parte cartilagineus tumor. 14. 2.
Duræ matris aritudo convulſiva. 6. 8.

E

ENtius (Georgius) cit. in Obſ. 29. §. 10.
Epigaſtrii vulnus. 23. 1.
Epileptici inſultus. 6. 1.
Eryſipelas capitis, & pectoris poſt capitis vulnus. 9. 1.
Experientia rerum omniū caput eſt in medicinâ faciendâ. 34. 5.

F

FEbris acuta, cùm gravis morbus præceſſerit, periculoſior. 7. 9. febris ſerò ſuperveniens lethali capitis vulneri. 9. 1. conjecturalis ratio affertur. 9. 3. febris leviſſima in magno jecoris vulnere, quare. 32. 3.
Fluctuatio aquarum in pectoris hydrope percipi ſæpè non poteſt. 29. 6. murmur infarti pulmonis fallere interdùm valet. *ibid.*
Fluxio viſcidi ſeri in Pulmones peripneumoniæ ſuccedens. 19. 1.
Fungi cerebri ſimilitudo Chirurgum decepit. 26. 2. fungoſa duræ matris excreſcentia quomodò formetur. 26. 3. quomodò in cortice cerebri. 26. 4.

G

GAlenus cit. in Obſ. 5. §. 5.

H

HArderus (Jo: Jacobus) cit. in Obſ. 15. §. 8.
Hemiplegia ex ictu gladii ad internum oculi angulum. 35. 4.
Hepar tumidum, & in cavâ parte inflammatum. 4. 2. inflammatum in phrenetico. 11. 2. tumidum, & ſub-viride. 15. 2. quâ ratione viridem colorem contraxerit. 15. 7. præternaturaliter

liter adauctum quomodò pallidum, aut ſubalbicans interdùm appareat. *ibid.* naturali grandius. 21. 2. in gibbâ parte abſceſſum gerens. *ibid. item* 21. 5. ex Obſ. D. Blanci. Hepar totum occupans epigaſtrium. 24. 2. & 27. 2. In cachecticis, & hydropicis pallidum ſæpè colorem refert. 30. 4. Inflammatum jecur, & in cavâ parte corruptum. 31. 2. vulneratum. 32. 2. liveſcens. 37. 2.

Hepatis tumor, qui externum mentiebatur tumorem. 13. 1. tumor erat ſteatomatoſus. 13. 2. tumor folliculatus ex Obſ. D. Lanciſii. 21. 4.

Hepatis ſcirrhoſa ferè conſtitutio. 29. 2. inſignis magnitudo, & albicans color. 30. 2. compreſſi jecoris ſolos ichores effluentes per excretoria vaſa vidit D. Lanciſius. 30. 4. Pars hepatis maxima ex magnis veſicis diaphano liquore turgentibus à D. Pacchiono obſervata, narrante *ibid.* D. Lanciſio. Cur adaucta jecoris moles in hydropico non fuerit, conjecturaliter indagatur. 37. 5.

Hernia cerebri ab Authore ſic dicta, qualis. 26. 7.

Humidi penuria morborum frequenter lethalium cauſa. 3. 3.

Humores oculorum, *vide*, Oculorum humores.

Hydatides in ſuperficie cordis turgidæ. 12. 2. quomodò formentur in variis partibus. 12. 5. quâ ratione differant à varicibus vaſorum lymphaticorum. 12. 6. Hydatis in apice cordis diſrupta. 15. 3.

Hydrops Abdominis, vel Pectoris, *vide*, Aqua.

Hymen. 30. 2. variæ de eo ſententiæ. 30. 6. quale naturaliter ſit, vel in morboſo ſtatu. *ibid.*

Hypochondriorum dolor. 21. 2. cauſa doloris. 21. 3.

I

JEcur, *vide*, Hepar.
Inflammatio partium facilè contingit in acutis febribus, dato ſanguinis lentore. 27. 3.
Inſpectio cadaverum diligentiſſimè inſtituenda. 23. 5.
Inteſtina bile tincta in phrenetico. 11. 2. inflammata. 4. 2. & 18. 2. ad vertebras retracta. 20. 2. rubicunda. 23. 2.
Inteſtinorum inflammatio facilior dato hepate ad cavam pręcipuè partem inflammato. 4. 4. Inteſtinorum tubus multis poteſt modis anguſtari. 10. 3. Inteſtinorum eroſio. 36. 2. à quâ causâ. 36. 3.

K

KErckringius (Theodorus) cit. in Obſ. 31. §. 5.

L

D. Lanciſius (Jo: Maria) cit. in Obſ. 1. §. 11. Obſ. 20. §. 4. Obſ. 21. §. 4. Obſ. 25. §. 4. Obſ. 30. §. 4. Obſ. 31. §. 9. Obſ. 34. §. 6.
Lien rotundus. 11. 2. triangularis. 15. 8. dentatim ex alterâ parte interſciſſus. 15. 2. diviſus in lobulos quinque. 15. 8. naturali major. 27. 2. minimus, duriſſimuſque. 29. 2. conjecturalis ratio inquiritur. 29. 3.
Lien mole ſpectabilis, craſſiſſimoque turgens ſanguine. 37. 2. ejus involucrum grandioribus, & facilè conſpicuis poris pervium. *ibid.* ratio affertur. 37. 5.
Lienis membrana craſſiſſima, duriſſima, & quâ parte ſpurias coſtas reſpicit, cartilaginea, ac ferè oſſea. 11. 2.
Lienis figurâ nil magìs inconſtans. 11. 7. ſubſtantia in liquamen reſoluta. 34. 2. à quâ causâ. 34. 4. Lienis obſtructi, qui valdè intumeſcebat febri ſuperveniente, deindè in minorem molem reſtituebatur,

batur, exemplum in Juvene. 27. 3.
Lingua ad baſim alligata, & quaſi retracta cuidam ægrotanti videbatur, & quare. 5. 3.
Lipothymia frequens in cordis vulnere. 33. 1. quâ ratione contingeret. 33. 3.
Liquidorum traductio per canalem Œſophagi difficilior, quàm ſolidorum. 24. 1. quare. 24. 4.

M.

MAculæ in ſuperficie cordis albicantes. 37. 3. ex quâ materiâ factæ. 37. 6.
Malpighius ( Marcellus ) cit. in Obſ. 26. §. 4. Obſ. 31. §. 6. §. 8.
Mayow ( Joannes ) cit. in Obſ. 29. §. 10.
Meatûs cyſtici fibroſus anulus. 18. 2.
Medulla oblongata biliosô infecta ſero. 6. 3. à bile proritata potuit ſpaſmodicam affectionem concitare. 6. 9. medulla oblongata duriſſima. 20. 2.
conjecturalis ratio indicatur. 20. 6.
Meninges aridiſſimæ. 6. 3. Meningum poſt cranii fracturam inflammatio. 9. 2.
Meſenterium in Homine carnearum ope fibrarũ convelli poteſt in affectibus ſpaſmodicis. 20. 3.
Morbus peculiaris partiũ, quæ ex pluribus componuntur membranis. 2. 8.
Morbi capitis, *vide*, Capitis morbi.
Morborum malitia nullum aliquandò Medicũ non fefellit. 34. 5.
Mors improviſa ex polypis in corde repertis. 8. 2. ex præfocatione contingens. 37. 1. ratio exponitur. 37. 4.
Motus convulſivi ex cerebri vulnere. 35. 1.
Muſculorum Abdominis ſupra Jecoris corpus mira extenuatio. 13. 2. cauſa explicatur. 13. 3.

O.

OBlongata medulla, *vide*, Medulla oblongata.

Ocu-

Oculus ab inſtrumento cerebrum uſque feriente abraſus. 35. 2.
Oculi ſcintillantes, ac veluti convulſi. 25. 1. & *ſeq.* §. 2. & 3.
Oculorum humor aqueus abſumptus, reliqui corrupti. 3. 2.
Œſophagus traducitur per medium ſpatium carnoſorum crurum ſecundi diaphragmatis muſculi. 23. 4.
Omentum ferè conſumptum. 7. 2. conſumptum, ſuperiùſque retractum. 5. 2. valdè conſumptum. 21. 2. dimidiâ ſui parte conſumptum. 15. 2. cur ſæpè conſumptum in cadaveribus reperiatur. 21. 7. præter naturam adauctum, & in ſcrotum prolapſum. 18. 2. firmiſſimè adhærens peritonæo. 24. 2. quomodò id evenire potuerit. 24. 6.
Omentum pars corporis pinguiſſima. 21. 7. inteſtina oblinit, ſolutæque ejus moleculæ ſanguini venæ portæ admiſcentur. *ibid.* Omenti portio cum ipſo Ventriculo in thoracis cavitatem translata. 23. 2.
Orbitæ concameratio ex tenui oſſe efformata. 35. 3.

P

D. Pacchionus (Antonius) cit.° in Obſ. 30. §. 4.
Palpitatio cordis. 22. 1. ejuſdem cauſa. 22. 7.
Pancreas durum. 29. 2. duriſſimum. 8. 2. penè ſcirrhoſum. 5. 2.
Partes majorem ſanguinis copiam recipientes faciliùs inflammantur. 4. 3. carnoſæ conſiſtentiâ, & robore in humanis corporibus inter ſe differunt. 21. 7.
Pectoris dolor. 36. 1. à quâ causâ. 36. 3.
Percuſſio capitis, *vide*, Capitis percuſſio.
Pericardium purulentam continens materiam. 16. 2. unde hæc derivari potuerit. 16. 5. cordi contiguum ſinè ſero. 22. 3. quare, 22. 4.

Pericardii vulnus. 17. 1. *item*. 33. 2. pus in eo copioſum. *ibid.* lympha copioſiſſima, & putrida. 4. 2. amplior cavitas cum puris, & ſeri copiâ. 30. 2. ſubſtantia exeſa. *ibid.*

Peripneumonia gravis. 19. 1.

Phrenetici cur majus robur acquirant. 11. 3.

Pia mater duræ matri ſimilis. 34. 3.

Pinguedinis conſiſtentia in humanis corporibus, & variis eorum partibus differt. 21. 7.

Pleura ex adhæſione inflammati pulmonis corrupta. 16. 2.

Plexûs choroidis vaſa inania. 6. 3. quare inania turgentibus interdùm cerebri vaſis. 20. 5.

Polypus in ſinu falcis ſuperiore. 1. 3. in dextro cordis ventriculo. 5. 2. & 15. 3. & 19. 2. & 37. 3. geminus etiam in dextro. 7. 2. in utroque ventriculo. 8. 2. & 17. 1. & 27. 2. & 31. 2. in utroque ſinu, & dextrâ auriculâ. 22. 3. in dextrâ auriculâ varicoſâ. 30. 3.

Polypus quandò inæqualitatem pulsûs, vel intermittentiam maximè debeat inferre. 27. 4.

Polypi in magnis cordibus facilè generantur. 22. 8. cur faciliùs in dextro ventriculo. 19. 4. emittunt ramoſas ſæpè propagines à corde in vaſa. 1. 3. in dextro ventriculo facilè generantur, pulmone affecto. 19. 4. ſolitarii in majoribus præſertim arteriis rari ſunt. 1. 3. in magnis aneuryſmatibus non infrequentes ſunt. 1. 8. quomodò in iis generentur. §. 9. & 10. generari eos negat in viventibus Kerckringius. 31. 5. in morientibus ſæpè gignuntur, vel augentur. *ibid.* cum ſpiritu ſalis actu calente infuſos in M. B. in fluidam abire ſubſtantiam, expertus eſt D. Lanciſius. 31. 9. à crudo ſulphure, & ſale alkali multo phlegmate enervato excitari, opinatur

idem

idem *ibid.* à vini ſpiritu majorem acquirere poſſunt firmitudinem. *ibid.*
Polyporum exiſtentia in arteriâ magnâ occaſione aneuryſmatis. 1. 8. generalis origo, & incrementum. 31. 7. materiam putat eſſe Malpighius partem ſanguinis fibroſam. 31. 6. eorum generatio non perpetuò requirit acidum ferruminans. 31. 8.
Pori ſpectabiles in Lienis involucro. 37. 2.
Pulmo ſiniſtri lateris colorem Lienis, conſiſtentiamque referens. 5. 2. pleuræ undique adhærens, ſanguine, & pure turgidus. 4. 2. eidem pariter cohærens. 8. 2. inflammatus. 7. 2. non variegatus, denſioriſque conſiſtentiæ veluti carnoſæ. 15. 3. flaccidus, dimidiâque ſui parte naturali minor. 22. 3. quâ de causâ. 22. 6. cur facilè inflammetur, hepate, & liene obſtructis. 27. 3. lividus, & aquis innatans. 30. 3. humores imbibere cur facilè poſſit. 12. 9.
Pulmonis portio diaphragmati adhærens. 11. 2. ſubſtantia denſa, & dura. 12. 2. inflammatio, conſiſtentiaque ejus hepaticæ ſimilis. 27. 2. ſubſtantia in liquamen ſoluta. 34. 2. à quâ causâ. 34. 4. abſceſſus. 16. 2. quandò is facilè diſrumpatur *ſequent.* §. 3. & 4.
Pulmonica vaſa ex caſu ab alto diſrupta. 28. 1.
Pulsûs ſenſibilis abolitio multorum dierum ſpatio, & quâ ratione. 19. 5. inæqualitas, & intermittentia fallax ſignum polypi cordis. 27. 4.
Pus ſero permiſtum in cavitate abdominis, & pectoris, unde derivari potuerit: conjecturalis modus exponitur. 36. 4.
Pus fœtidiſſimum ſupra piam matrem, & cerebrum, obſervante D. Terraneo. 35. 5.
Puſtulæ in pleurâ, & peritonæo ab Authore deprehenſæ. 36. 4.
Pylori tumor cartilagineus.

neus. 14. 2. cur nullam induxerit febrim. 14. 6. cur indolens. 14. 7.

R

Renum ſuccenturiatorũ naturali major magnitudo, alteratio, friabilitas. 8. 2. veriſimilis harum affectionum cauſa. 8. 5.

Reſpiratio difficilis à pulmone carnoſo. 15. 6. à causâ multiplici. 29. 3. cur difficilior Ægro quodam decumbente, quàm erecto ſuccederet. *ſeq.* §. 7. & 8. error Th. Willis indicatur. §. 7. cur difficillima in vulnerato diaphragmate non fuerit. 32. 5.

Reſpirationis per cauſas neceſſitatem nondùm oſtenderunt Scriptores. 29. 10. de hoc argumento ſcripturum ſe, Author pollicetur. *ibid.*

S

Salium noxa ex humidi penuriâ. 8. 3.

Sanguis deſtitutus ſero quandò accenditur, quæ pariat mala. 3. 4. in thorace effuſus ex caſu ab alto. 28. 2. effuſus in cavitate abdominis vulnerati Juvenis. 32. 2. imo in ventre extravaſatus quomodò ſervari incorruptus potuerit. 31. 3. & ſeq. §. 4. nullus apparenter profuſus è vulnerato cerebro, & quânam ratione. *ibid.* effuſus intrà meſenterii tunicas, & circa renes. 1. 2. quâ de causâ. 1. 6.

Sanguinis in parte aliquâ lentor turgentiam vaſorum inducit. 6. 5. Sanguinis libra ſingulis ferè diebus è ſaucio corde prodibat. 17. 1. dato ſanguinis lentore facilis eſt in acutis febribus partium inflammatio. 27. 3. Sanguinis fibras admittit Malpighius, rejicit Bohnius. 31. 6. ſunt potiùs ramenta fibrarũ, quàm veræ fibræ. *ibid.*

Sanguinea vaſa ferè ſiccata in cortice cerebri. 3. 2. quâ de causâ. 3. 5. admo-

modùm turgida ſupra cerebri corticem. 6.3. & 20. 2. in phrenetico. 11. 2. turgidiſſima. 25. 2. ſic turgida, & varicoſa, ut corallorum ramis viderentur ſimilia, ex Obſ. D. Lanciſii. 25. 4. ſanguinea choroidei plexûs vaſa cur inania turgentibus interdùm corticalibus cerebri vaſis appareant. 20. 5. turgentia ſuprà cerebri corticem vaſa duplici ratione gravitatem exercent. 6.7.

Senibus familiaris canaliũ, ligamentorum, cartilaginum induratio. 11. 7.

Serum ad baſim cerebri gelatinoſum. 31. 2. quare. 31. 5.

Sobrietas in iis, qui aneuryſmate laborant, quare commendabilis. 1. 10.

Sonitus palpitantis cordis ad multum ſpatium auditus. 22. 1.

Spiritus ſalis polypos ſolvit: experimentum D. Lanciſii. 31. 9.

Sputum quomodò ſpumoſum fiat. 15. 5.

Steatomatoſus tumor jecoris, *vide*, Hepar.

Sterni ad infimam ſui partem dolor. 21. 1. cauſa doloris. 21. 3.

Stomachi languor. 24. 1. à quâ causâ procedens. 24. 3.

Suppurantia eſſe viſcida debere, monuit Avicenna. 32. 3. ratio affertur. *ibid.*

Suturæ oſſium cranii vix conſpicuæ. 34. 3. in cranio craſſiſſimo vix etiam apparentes. 6. 3. in ſenibus ferè obliterantur. 6. 4.

Succi acidi in hypochondriacis, & ſcorbuticis reperiuntur. 31. 5.

Swammerdam (Joannes) cit. in Obſ. 29. §. 10.

T

D. Terraneus (Laurentius) cit. in Obſ. 33. §. 5.

Thoracis ſiniſtra cavitas multum ſeri continens. 5. 2. purulento humore utraque referta. 36. 2. ſiniſtra tantùm. 16. 2. & 21. 5.

Tre-

Tremor aſſiduus vulnerati cordis. 33. 1. quâ ratione excitatus. 33. 3.
Truſton (Malachias) cit. in Obſ. 29. §. 10.
Tumor ſarcomatoſus intrà tunicas inteſtini coli. 2. 2.
Tumoris inteſtinalis diverſa materies eſſe poteſt. 2. 4. idem cum dolore, & febri, vel cum pauco dolore, nullâque febri. 2. 5.
Tuſſis ſicca. 36. 1. à quâ causâ. 36. 3. à jecore affecto, hinc etiam diaphragmate excitata, ex Obſ. D. Lanciſii. 21. 4.

V

Valvulæ cordis mirum in modum dilatatæ. 29. 2.
Varices lymphaticorum. 12. 5. quomodò differant ab hydatidibus. 12. 6.
Vaſa cordis ampliata, ut in corde bubulo. 29. 2.
Vaſa coronaria, *vide* Coronaria vaſa.
Vaſa pulmonalia, *vide* Pulmonalia vaſa.
Vaſa ſanguinea, *vide* Sanguinea vaſa.
Vaſorum turgeſcentia lentorem humoris in eâ parte ſignificat. 6. 5.
Venarum turgentia in iis præſertim apparet, qui convulſi moriuntur. 20. 5.
Ventriculus à magno hepate in umbilicalem regionem detruſus. 5. 2. quandò hoc facilè eveniat. 5. 4. & 24. 2. ſuperius orificium ejus valdè compreſſum, & quaſi ſtrangulatum. *ibid.*
Ventriculi in thoracis cavitatem aſcenſus. 23. 2. quomodò id fieri potuerit. 23. 4.
Ventriculi cerebri lymphâ deſtituti. 6. 3.
Venter infimus purulento infectus ſero. 36. 2.
Ventris dolor occaſione ſarcomatoſi tumoris intrà tunicas inteſtini coli. 2. 1.
Vermes vomitu rejecti in milite quodam vulnerato. 32. 1.
Veſicula biliaris in hydropicis modicam ſæpè bi-

lem ſeroſam, aut viſcidulam continet. 5. 5. grandior ob interceptū tunicis ſerum gelatinoſum. 12. 2. ab incluſo intrà tunicas ejus flatu turgidiſſima. 18. 2. quomodò id contigerit. 18. 5. variis lacera ulcuſculis, obſervata à D. Lanciſio. 20. 4. inanis. 21. 2. ejus tunicarum craſſitudo. *ibid.* craſſitudinis cauſa. 21. 6. atro humore turgens. 23. 2. ampliſſima, & turgida. 24. 2. pallido ſero plena præter ramenta virideſcentis bilis, ex Obſ. D. Lanciſii. 30. 4. omninò vacua. 32. 2. Cyſtidis hydrops qualis. 12. 2.

Vibratio palpitantis cordis in thoracem ad multum ſpatium ſpectata. 22. 1.

Virium morboſa reſolutio ſub tenuis naturæ ſpecie poteſt Medicis imponere. 34. 4.

Viſcera abdominis aquæ immerſa, flaccida, corruptionique proxima. 30. 2.

Vitri antimonii noxa. 11. 1.

Willis (Thomas) cit. in Obſ. 29. §. 9. & 10.

Vomitus vehemens occaſione tumoris ſarcomatoſi in colo inteſtino. 2. 1. ob anguſtiam canalis cibarii. 10. 4. & *ſequent.* §. 5. 6. 7. copioſus ſeroſæ materiæ. 14. 1. ex quâ cauſâ. 14. 4. vomitus materiæ fæculentæ. 23. 1. pertinax, & vehemens unde excitatus. 23. 3. vehemens cum atri humoris rejectione. 24. 1. cauſa veriſimilis inquiritur. §. 5. ad vomitum potens ſtimulus. 6. 1.

Vulnus cerebri, *vide* Cerebri vulnus.

FINIS.

JOAN-

# JOANNES FANTONUS
## Lectori ſalutem.

*CUm in altero mei Operis Anatomici Volumine de Humano Capite acturus, quædam initio dicere de Phyſiognomiâ meditarer, Eruditiſſimum Virum D. Jo: Mariam Lanciſium litteris rogavi, ut cogitata ſua, & obſervationes, quæ ad hoc argumentum pertinerent, benevolè, ut mecum ſolet, communicaret. Is tanto ingenii acumine, tantâque doctrinâ, & rerum varietate refertam ad me Epiſtolicam Diſſertationem de Phyſiognomiâ ſimul, & Chiromantiâ dedit, ut eandem diutiùs nolim Litterato Orbi invidere. Scire autem te maximè cupio, quòd, cùm in hâc Lucubratione, poſteaquàm primitùs acceperam, nihil eſſe immutandum Author crediderit, eas quoque laudes, quibus efferri me nimio pudore videbam, deleri poſſe negaverit.*

*Sed*

*Sed alteram de Cogitantis Animæ Sede Diſſertationem, quæ cum ſuperiori pulcherrimè convenit, mihi nuper ſententiam ejus ſciſcitanti Vir Clariſſimus miſit. Hanc verò non minùs, quàm priorem propter admirabilem rerum novitatem, ſubtilitatem ratiocinii, & ſtyli elegantiam cùm publicâ luce, atque commendatione digniſſimam ego ſim arbitratus, & Doctiſſimi Viri, quibus copiam petentibus feci, omninò judicaverint, hìc eam ſuperiori adjiciendam eſſe, Authore nequaquam diſſentiente, decrevi. Hiſce interim, Amice Lector, fruere, dum plurimas Eruditiſſimi, Eloquentiſſimique Viri Epiſtolas, quibus Anatomicæ potiſſimùm, ac Medicæ res continentur, tibi aliquando pollicemur. Vale.*

# JO: MARIÆ LANCISII

Cubicularii intimi, & Archiatri

PONTIFICII

# DISSERTATIO

PHYSIOGNOMICA

*Ad Eruditiſſimum Virum*

D. JOANNEM FANTONUM

*Medicinæ, atque Anatomes Auguſtæ Taurinorum Profeſſorem Celeberrimum.*

*Clariſſimo Viro*

# D. JO: FANTONO

## MEDICINÆ, ATQUE ANATOMES Profeſſori Celeberrimo

# *Jo: Maria Lanciſius S.P.D.*

NOnnulli mortalium, Fantone Doctiſſime, præpoſtero quodam odio, & fugâ erroris in errorem prolabuntur; quòd nimirùm ſibi perſuaſerint, à periculo errandi tutiores ſe ſe futuros, ſi ab errore quàm longiſſimè receſſerint. Hanc ſtultitiam, quam carpit Horatius: *Extremæ opiniones vitandæ.*

*Dum vitant ſtulti vitia, in contraria currunt:*

in re philoſophicâ, & eâ præſertim, de quâ me nuper percontatus es, paſſim ridemus, aut miſeramur. Ineptas hariolorum ex chiromantiâ, & metopoſcopiâ vaticinationes cùm Chriſtiana Religio, & recta ratio deteſtetur, neque ulla ex jis incertorum eventuum præſagia duci poſſint; factum eſt, ut phyſiologicas omnes obſervationes ex manuum, & frontis lineis, nugatorias prorsùs eſſe, non pauci arbitrentur, neque illas ad corporis temperiem, animique indolem oſtendendam quidquam pertinere. Extremum utrumque errorem media veritas damnat, quæ ſimul & vaticinia futurorum rejicit, & cognationem earum linearum cum temperamento fluidarum partium, *In chiromantiâ, & metopoſcopiâ medium iter tenendũ.*

R & to-

& tono, ac ſtructurâ ſolidarum, minimè negligendam eſſe, profitetur.

*Summa cognatio linearũ manuum, & frontis, cum temperie fluidarũ, & ſtructurâ, ac tono ſolidarum corporis partium.*

Tantum argumentum, Philoſophorum ſtudiis, & tuâ curioſitate digniſſimum, Epiſtolari Diſſertatione tractandum aggredior, oſtenſurus, ex fluidorum, ſolidorumque conditionibus, eas primùm in manibus, & fronte lineas eſſe deſcriptas, ex quibus proinde corporis, animique affectiones indicentur; quanquam deinceps diſciplina, educatio, & virtus, vel vitium, eaſdem aut firmet, aut emendet, aut invertat. Et licèt non ſim neſcius, aliquos magni nominis Scriptores mediam hanc viam tenuiſſe; nemo tamen illorum veras ejuſmodi cognationis cauſas perſcrutatus eſt; cùm nudis qualitatum vocibus, vel ſolo experientiæ fuerint teſtimonio contenti.

# DISSERTATIONIS

## PARS PRIOR.

## *DE CHIROSCOPIA.*

*Origo linearum, volis manuum inſcriptarum.*

PRimùm igitur à Chiroſcopiâ ſermonem ordiamur (hoc placet nomen uſurpare, ne quem divinationis ſcrupulum chiromantia etymo ſui nominis objiciat.) Porrò linearum, quæ in volis manuum cernuntur, originem ſcrutantibus dubitare non licet, quin efformentur ex ſitu earundem in pugnum conſtrictarum, quo tempore fœtus utero matris continetur. Nam & univerſim quæcunque corporis partes plicis, lineiſque exarantur, eas ducunt ab incurvo ſitu, flexuque articulorum, & muſculorum; quo fit,

ut

ut ſuper extenſa cutis criſpetur in rugas, aut lineis obſignetur. Inter cætera verò membra nullum invenies, ubi oſſa, nervi, muſculi, eorumque tendines cum venis, & arteriis plura concurrant, complicentur, atque introrsùm flectantur, quàm in manibus, in quibus organum organorum, ac veluti inſtrumentorum epitomen Deus hominibus contulit; ut variâ conſtrictione, motione, conatuque varia opera molirentur. Tametſi verò par quoque in pedibus partium concurſus fiat; conſtrictioni tamen obſtat brevitas digitorum, & metatarſi longitudo, quâ efficitur, ut, ſicuti pedes in fœtu minùs curvantur, paucioribuſque lineis inſcribuntur, ità in natis, & adultis ad operum varietatem non ſint opportuni.

*Cur in plantâ pedum lineæ pauciores.*

Quoniam autem in utero multifariam conſtringitur manus, & vel tenaciùs, vel laxiùs complicatur; & conſtrictionis ſitus vel diutiùs retinetur, vel identidem permutatur à fœtu; hinc omnis linearum diverſitas in manibus gignitur, quam ad tria potiſſimùm capita revocamus. I. in aliis ritè ductas, & profundas, nec ex longioribus plures, quàm quatuor advertimus. II. in aliis plures, breviores, & minùs profundas, variiſque modis interſectas obſervamus. III. in aliis denique ferè nullas, aut leviores. Nimirùm plerique in matris utero placidiſſimum ſomnum carpentes, aut validam manuum compreſſionem nunquam mutant, aut mutatam rursùs brevì reſtituunt, in quibus propterea lineæ profundiores, longiores, æquabiliores, & numero minores exculpuntur. Contra verò alii irrequieti, & exilientes cum corporis jactatione manus etiam ſæpè explicant, contrahunt, torquent, & violenter comprimunt,

*Tria diverſarum linearum in volis manuum genera.*

*Singulorum generum cauſæ.*

& pro diverſâ vi haud facilè in eundem ſitum recidunt; quo plures in cereâ cute, breviores, leviores, & interciſæ efformantur. Tandem nonnullis manus in utero raro complicatæ, & languidiùs contractæ, vix ullas lineas admittunt.

*Optimarum linearum cauſa.* Jam verò, ut placidâ quiete fruantur in utero qui manus conſtrictas habent, tria præcipuè deſiderantur. I. ſuccorum dulcis volatilitas, & blanda temperies. II. firmus partium tonus, quem robur appellant, cum optimâ ſtructurâ manus. III. materni animi tranquillitas, nullis affectuum procellis agitata; unde fœtus à ſomno, & quiete quàm rariſſimè excitatur, quibus fit, ut ſitus conſtrictæ manus firmior, & diuturnior; ac proinde lineæ profundiores, longiores, & æquabiliores evadant.

*Pravarum linearum cauſa.* Contrariis autem ex cauſis alii in utero frequenter manus explicant, & ſitum, complicando, permutant; nimirùm quod ſuccis acrioribus, minùſque temperatis irritati, haud tono naturali, ſed vi quâdam convulſivâ moveantur, aut maternorum pathematum vehementiâ jactentur; quamobrem, alternante motuum viciſſitudine, aliæ aliis lineæ inducuntur, profunditate, & longitudine plerunque deſtitutæ.

*Interdum culpâ ſtructuræ, non humorum, abnormes lineæ in volis.* Non inficior, aliquandò cum linearum profunditate multitudinem quoque, & enormes interſectiones convenire poſſe, cùm non in ſuccis vitium eſt, ſed in muſculorum ſtructurâ, qui volâ manûs continentur, à naturali ſtatu declinantium.

*Deficientium, aut leviorum linearum cauſæ.* Poſtremò effœta ſuccorum volatilitas, & languidus partium tonus in causâ eſt, cur vel utraque, vel altera manus in fœtu plerunque explicata ſit; atque idcircò lineæ, quas volæ compreſ-

ſio

ſio excudit, vel nullæ apparent, vel raræ, ac leviſſimæ. Non hìc ſermo nobis eſt de hominibus, quibus lineæ manuum callis, ex labore ductis, obliterantur; de naturali enim ſtatu, non verò de præternaturali, diſputamus.

Hanc compreſſionis diverſitatem quiſquis attenderit, haudquaquam mirabitur, quî fiat, ut vix in quopiam ſiniſtræ manûs lineæ, lineis dexteræ examuſſim reſpondeant; quanquam levior diſſimilitudo intercedere ſoleat: nam vix unquam in eodem fœtu læva manus eodem ſitu, eâdemque conſtrictionis vi, & diuturnitate, ac dextera complicatur, non quidem ſuccorum varietate, ſed vel moleſtiâ ſitûs, vel aliâ quâvis externâ causâ interpellante. Quam ego ſitus, & complicationis differentiam ſæpè diſſectis utero gerentium cadaveribus inſpexi, & ab ſe inſpectam graphicè delineavit clariſſimus Hieronymus ab Aquapendente in aureo libro de fœtu formato. Quò magis rideas, mi Fantone, chiromantes dexteram in viris, ſiniſtram manum in fœminis obſervandam præcipientes.

*Cur unius manus lineæ lineis alterius non perfectiſſimè reſpondeant.*

*Varius fœtuũ ſitus in utero.*

*Chiromantum levitas.*

In proclivi eſt igitur uniuſcujuſque temperiem, & indolem, in volâ manûs, linearum characteribus veluti expreſſam, legere. Enimverò, ubi lineas illas præcipuas, ac veluti cardinales, ritè formatas, ſeu quàm minimè interturbatas, atque interſectas viderimus, primigeniæ cauſæ, hoc eſt ſuccorum, & partium laudabilem craſim intelligemus; ex adverſo culpandam, ubi lineæ inordinatæ, interſectæ, & numero plures fuerint; vel nullæ, aut rariores. Et quoniam ex eâ primigeniâ ſuccorum, & partium craſi tota deinceps corporis indoles ducitur (veluti in arboribus ex ſemi-

*Conjecturæ indolis ex lineis manuum.*

ſeminali plantâ ) non levibus indiciis uniuſcujuſque indolem ex lineis manuum conjiciemus.

Plaudentes hìc mihi videre videor chiromantes , quod indicia morum, animorumque certis, firmiſque fundamentis inſtruxerim . At ego tecum, Doctiſſime Fantone, non verò cum ſtulto agyrtarum grege, ſermonem inſtitueram; nimirùm qui ritè agnoſcas , quàm longè ab illorum deliramentis abſint , quæ ſuperiùs ex naturæ penu deprompſimus. Non enim ignoras, quàm multa ſint, quæ primigeniam temperiem, ac propenſionem in viventibus emendare, aut corrumpere, coercere, aut depravare, atque aliorsùm, immò in oppoſitum flectere ſæpè ſoleant. Nam, quo pacto plantæ ipſæ interdùm ſoli mutatione, cultu , inſitione nativas qualitates dediſcunt, & in alias excoluntur ; brutorum item feritatem diſciplina, & exercitatio domat, & inflectit; ità hominum ingenium ex corporis temperie ad virtutes, aut vitia pronum alimenta , cœli conditio, educatio , ſodalium conſuetudo, poſtremò , quod neque in plantis, neque in brutis contingit, victricis Gratiæ præſidium, vel originalis labes, aut in bonam frugem revocant, firmant, perficiuntque, aut in ſcelerum ſyrtes abripiunt, & mergunt; ità tamen, ut perpetuum , ratumque ſit chirognomicum veluti principium , ut hi quidem , quibus optima manuum delineatio, hoc eſt, optima fluidorum, ſolidorumque qualitas contigerit, faciliùs , ac feliciùs veluti ſponte ſuâ ad bonum ducantur ; ad vitia verò, non ſinè vi adhibitâ pravorum exemplorum , & educationis , naturâ veluti invitâ , trahantur . Contra verò quibus manuum delineatio abnormis eſt , ex fluidorum videlicet, ſolidorum-

*Primigenia indoles multifariam emendari, aut depravari ſolet.*

rum-

rumque ataxiâ, promptiores ad vitia proſiliant, ægriùs, & non ſinè educationis, diſciplinæque ſeveritate ad virtutes, Gratiâ opitulante, flectantur.

*Quam ſortem unicuique ex indole, diſciplinâque conjecturis augurari licet.*

Quemadmodum verò ex primigeniâ corporis craſi, uniuſcujuſque indoles educitur; ità ex indole quæcumque indolem ſequuntur augurari animo licet. Porrò bonam indolem; modò nec ingenuis præceptis deſtituta, nec degeneri educatione depravata fuerit; comitari ſolent morum gravitas, affabilitas, docilitas, manſuetudo, continentia, abſtinentia; ex quibus obſequia in amicos, officia in cives, miſericordia erga inopes, liberalitas; atque hinc alienâ benevolentiâ foveri, potentium gratiâ frui, publico judicio commendari; quæ omnia plerunque longævitatem, firmam valetudinem, honores, opes, amicitias, vitæque tranquillitatem pollicentur. Pravæ autem indoli, quam recta inſtitutio non emendaverit, utplurimùm adnaſcuntur imprudentia, levitas, iracundia, vafrities, incontinentia, indocilitas; ex quibus rixæ, contentiones, invidiæ, alieni appetentia; unde odia civium, querelæ vicinorum, inimicorum inſultus, aut inſidiæ, quæ ſubindè valetudinis incommoda, inopiam, domeſticas diſcordias, infamiam, vitæque jactationem, ac brevitatem afferunt.

*Sumpta ex præclarâ indole, & inſtitutione indicia.*

*Indicia ex pravâ indole non emendatâ.*

*Indicia ex ſegni, effœtâque indole.*

Hinc, opinor, colliges, mi Fantone, quid conjiciendum de illis ſit, in quorum manibus nullæ lineæ, vel leves, raræque viſuntur. Cùm enim id oriatur ex inerti muſculorum tono, & languidâ vi nervorum, eos facilè intelligemus ad labores, & artes minùs aptos, quibus fortunæ comparantur; atque idcircò inertem, & miſerandam penè vitam traducturos, niſi opes, alienis laboribus partas,

fors

ſors illis objecerit. Hos ad pietatem proniores, difficiliùs ad civiles, aut bellicas artes excolueris, cùm ipsâ vi naturali deſtituantur, quæ per diſciplinam eſſet excolenda.

*Superiùs tradita Divinâ Auctoritate confirmantur.*

Atque ut in eo deſinat, unde habet natura, & indoles ortum, Dei Auctoritate, quæ hactenùs naturalibus obſervationibus tradita ſunt, confirmemus. Quid diſertius, Vir Eruditiſſime, quid accomodatius chirognomiæ dici ab hominibus poteſt, quàm quod Divinis Oraculis proditum eſt? Job cap. 37. *Qui in manu omnium hominum ſignat, ut noverint ſinguli opera ſua*. Quæ verò manuum ſigna ſunt, niſi lineæ volis inſcriptæ? aut quo pacto, opera ſua ſinguli noverint, niſi hiſce lineis edocti, in quibus animi, & intellectus veluti delineamenta adumbrata ſunt, ut propterea intellectus manuum dicti eſſe videantur. Pſal. 77. v. ultimo. *In intellectibus manuum ſuarum deduxit eos*.

*Chiromantes rejecti.*

Non ignoro, chiromantes, ſacris hiſce teſtimoniis abuſos, infallibilem incertorum eventuum divinationem adſtruere; cùm tamen illud duntaxat, efficiatur, ut indolem uniuſcujuſque indiciis non levibus deprehendamus; ac deprehenſam, bonam quidem ſecundo curſu in melius provehamus; pravam verò inſtitutionis rigidioris ope corrigamus; quæ tantùm abeſt, ut humanæ libertati, aut Divinæ Gratiæ quicquam officiant, ut potiùs utriuſque vim ad naturam ipſam flectendam, atque edomandam luculenter oſtendant.

*Humana libertas, & Divinæ Gratiæ neceſſitas vindicatur.*

DIS-

# DISSERTATIONIS

## PARS POSTERIOR.

## *DE METOPOSCOPIA.*

AD alteram deinde Diſſertationis Partem accedentes, eodem medio itinere incedamus, Metopoſcopiam ex veris naturæ principiis explicaturi, ut à pravitate extremarum illarum opinionum pariter declinemus; quanquam minori incertitudine laborare videantur frontis, quàm manuum, indicia; quippe quæ tum ſitu ſedem Animæ proximè ſunt, tum maximâ neceſſitudine, & cognatione ab ipſius vitæ primordiis cum cerebro coagmentata, cæteris præſident oris partibus, quibus potiſſimùm nititur phyſiognomia.

*Phyſica Metopoſcopiæ principia.*

Et ſanè caput in embryone ſpectantes, nihil aliud animadvertimus, quàm molles membranulas, alias aliis ſuperincumbentes, & cerebrum, nullis adhuc oſſibus firmatum, circumplexas; ut proinde quæ cerebri, & utriuſque meningis, in anteriori præſertim parte, ſtructuræ ratio eſt, eadem quoque frontalis muſculi eſſe debeat. Etſi autem, fœtu adoleſcente, externæ, internæque membranæ, ferruminatis ſenſim oſſibus, invicem diducantur; nativam tamen ſtructuram, quam in cicatriculæ rudimentis habuerant, deinde in embryonis productione, tum in fœtu formato, perfectoque, denique in nato, & adulto perpetuò retinent; niſi ſiquid inciderit, quod naturalem partium ſitum, ſtructuram, atque indolem perturbet, & invertat; quod nunquam Phyſiognomis negligendum eſt.

*Frontalis muſculus in embryone cerebro cohæret.*

Equidem in frontis ſtructurâ, quæ meningum, atque ipſius adeò cerebri ſtructuræ reſpondet, non ſolam figuram, amplitudinem, & æqualitatem; ſed potiſſimùm, quod Metopoſcopi minùs advertunt, rugarum qualitatem attendendam arbitror.

*Rugarum frõtis origo.*

Enimverò rugæ hujuſmodi ab actione muſculi frontalis, ſupercilia elevantis, oriuntur; ac pro variis ejuſdem muſculi ſtructuræ viribus, viriumque æquali, vel inæquali ad utrumque ſupercilium gradu, varia quoque frontis contractio, & rugarum conditio eſt, quas in tria præcipua genera partimur; vel enim rugæ æquabiles, & rectæ ſunt; vel inæquales, & interciſæ; vel paucæ denique, nec profundæ. Æquabilitas, & rectitudo perfectam ſtructuram, viriumque in utriſque muſculi partibus æquilibrium oſtendit: quòd ſi cutis gracilitatem offendat, numero plures; ſi verò craſſitiem, numero pauciores rugas efficiet. Interciſæ rugæ, & inæquales inordinatam ſtructuram, & impares in muſculi ſectionibus vires produnt. Poſtremò paucitas ſinè profunditate, ejuſdem muſculi imbecillitatem patefacit.

*Earundem tria genera.*

*Quæ ex jis rugarum generibus ad muſculi ſtructuram, & vim argumenta ducantur.*

Et quoniam frontalis muſculus cum meningibus, cerebroque in anteriori parte ab initio, eâdem materiâ, eodemque agente, inolevit; ejus bona, vel mala ſtructura, vires, aut languor, æquabilitas, aut inæqualitas bonam, vel malam ſtructuram, vires, aut languorem, æquabilitatem, aut inæqualitatem meningum, & ipſius quoque cerebri plerunque ſignificant. Quæ cùm ex adytis Philoſophiæ, & Anatomes repetantur, non miror, vulgares phyſiognomos penitùs latere; digna profectò, quæ ad Te, utriuſque Doctrinæ laude florentem, perſcribantur; inſignem enim

*Ex frontali muſculo ſolidarum cerebri partium ſtructura, & vis colligitur.*

enim Philoſophiâ, & Anatome eſſe oportet eum, qui ex rugis frontis ſolidarum cerebri partium ſtructuram deprehendat, eo præſertim loco, ubi ſedes eſt Animæ, quæ, licèt ad edendos membrorum motus, totius cerebri, & cerebelli organo utatur; officinam tamen cogitationum prope frontem locatam habet; quâ incaleſcente, meditationis contentionem, laboremque, quâ rursùs liberâ, & ſerenâ, mentis agilitatem, feracitatemque nos paſſim, & ſtudioſi omnes experiuntur. Cæterùm, diligenti obſervatione, ac repetitis diſſectionibus nonnulla ego in ſegmentis utriuſque hemisphærii anterioris cerebri, & corpore calloſo, hactenùs incomperta, animadverti, quæ fortè Animæ cogitanti ſubſerviunt; ea verò, ſi res tulerit, ex ſchedis meis deprompta, publico judicio ſubjiciam.

*Cogitantis Animæ ſedes in anteriori cerebri parte locata eſt.*

*Nova quædã à ſe deprehenſa in anteriori parte cerebri Auctor pollicetur.*

Igitur membranæ, cerebrum in anteriori potiſſimùm parte involventes, atque ipſum etiam adjacens, contectumque cerebrum, tum concinnâ ſtructurâ, tum validis, & æqualibus utrinque viribus pollent in jis, quibus frontis rugæ rectæ ſunt, & parallelæ: illi verò, qui rectas quidem utrinque rugas, ſed leves illas, & paucas habent, internis partibus donantur, ritè quidem conſtructis, ſed infirmis, & languidis: è contrario eædem partes inconcinnâ ſtructurâ laborant in jis, quorum rugæ inæquales, aut, quod gravius eſt, interſectæ: languidis tandem, atque inæqualibus viribus cum ſtructuræ vitio apud eos, quorum nec multæ, nec profundæ; præſertim ſi ex alterâ parte contracto muſculo, alterius nulla, aut levis tenſio cernatur.

*Quid frontis lineæ in cerebri ſtructurâ indicent.*

Jam verò, ut ex jis, quæ ſuperiùs ſtatuta ſunt,

ad judicium de ingenio uniuſcujuſque, ratione duce, progrediamur; probitas, ac felicitas ingenii ex ſuis cauſis conſtituenda eſt, quæ quidem in eo poſita eſſe videtur, ut ſummâ tranquillitate procul importuno ſpirituum incurſu Anima perfruatur in illis cerebri partibus, ad quas motuum undulationes ab externis objectis per ſenſorios nervos appellunt, & ubi his motibus, ideiſque inſtructa, de ſpiritibus ad ſua quoſque organa immittendis deliberat.

*In quo felicitas indolis ſita ſit.*

At in eâ mentis arce, non aliunde tranquillitas, & æquabilitas exiſtit, & conſervatur, quàm tribus ex cauſis. I. optimâ, atque utrinque uniformi partium illarum ſtructurâ. II. ſpirituum influentium bonâ craſi, moderatâque vi, & energiâ. III. eorundem ſpirituum æquilibri diſpenſatione, & provido in membra, prout opus fuerit, influxu. Si quid verò vel in ſtructurâ, vel in ſpiritibus, vel in eorum diſpenſatione deficiat; ſemper aliquid de indolis probitate decedet, quod non niſi diuturniori, & diligentiori diſciplinâ corrigi poſſit: etenim non mediocris conatus rationis requiritur ad eam æquabilitatem ſupplendam, quæ vitio vel ſtructuræ, vel motûs turbatur. Nam vix aſſiduâ inſtitutionis ſeveritate, exemplorum imagine, ſpe, metu, doctrinâque enormis naturæ curſus ad eam æquabilitatem, quam memoravimus, revocatur. Quod ſummus ille Philoſophorum Princeps Socrates expertus eſt, & docuit, quem cùm Zopyrus Phyſiognomus judicaſſet vel ad libidinem pronum, ut tradit Ælianus, vel naturâ ſtupidum, ut cenſuit Cicero; maximâ Philoſophiæ contentione, & obluctantis animi exercitatione opus fuit, ut flecteretur ad continentiam, atque

*Quæ tranquillam Animæ ſedem præſtet.*

*Indolis pravitas contentiori diſciplinâ corrigitur.*

*Socratis exemplo confirmatur.*

atque ad Sapientiæ contemplationem, & doctrinarum faſtigium eveheretur. Itaque populo, Zopyrum irridenti, ille mortalium Sapientiſſimus ait, talem ſe quidem à naturâ factum, ſed naturæ pravitatem virtutibus emendaſſe.

Accidit ſæpe numero, ut quoſdam nullâ Philoſophiæ ope egere videamus, quorum frons enormibus rugis exaratur; qui nimirùm non à naturâ ad vitia comparati, ſed caſu, frontis ſpeciem affabrè concinnatam deformante, phyſiognomis imponunt. Fit enim interdùm, ut rugæ obliquæ, interſectæ, ac multifariam deerrantes conſpiciantur, ictu, vulnere, ambuſtione, variolis, aliiſque morbis, frontalis muſculi ſtructuram labefactantibus, quibus idcircò nulla eſt cum internarum partium texturâ cognatio. Adeò in omnes caſus, neceſſe eſt, ut prudens conjector animum convertat, & dirigat.

*Rugæ frontis caſu, vel morbo deformatæ ad indolis indicium non pertinent.*

Habes igitur, Fantone, hominum indolem in lineis manuum, ac frontis à naturâ deſcriptam, ut quò oculorum aciem intendere prohibemur, ab externis characteribus, & indiciis deprehenderemus. Ea verò ſi utrobique, tam in volis manuum, quàm in fronte, ritè, rectèque expreſſa ſint; liquidorum craſim, & ſolidorum ſtructuram ad bonum, inito fœdere, conſpirantes augurabimur. Quamobrem & parentes, & educatores ſpe optimâ puerilis naturæ, ad bonam frugem vergenti facilè obſecundabunt, & minimo negotio à vitiis avocatam, per virtutum ſemitas ducent ad privatam, & publicam utilitatem. Contra verò cunctis inſtitutionis conatibus obniti debent, ubi pueros viderint naturæ enormitatem manibus, & fronte præſeferre; ut ſtudio,

*Puerorum educationi aſſerta Chiroſcopiæ, & Metopoſcopiæ veritas perutilis.*

dio, operâ, conſilioque mores ad flagitia propè ruentes ſiſtant, atque ad probitatem pro virili parte urgeant, atque compellant.

*Vulgaria totius oris indicia.*

Vulgaribus phyſiognomis ſolemne eſt, ut indicia duntaxat delibent, quæ ex animi pathematibus in ore, oculis, ſuperciliis, genis, totiuſque corporis habitu, motuque exhibentur; quæ quoniam philoſophicam ſubtilitatem exercere minimè valent, ad Philoſophum ſubtiliſſimum ſcribentes prætereunda putavimus. Neque enim operoſum eſt ex ore, oculiſque flammantibus iratum, torvis invidum dignoſcere; ex pallore, ac tremore pavidum; ex fuſco vultu, & dejecto triſtem; ex florido, nitenti, hilarique placidum, ac lætabundum: nam vel in brutis ipſis hæc eadem argumenta ſuas ipſorum qualeſcunque affectiones oſtendunt; ex quibus plerunque libros ſuos opplent tralatitiæ phyſiognomiæ profeſſores.

*Originalis labes depravatæ naturæ cauſa ſtatuitur.*

Cæterùm, jucundiſſime Fantone, nolim ſuſpiceris, me, philoſophicis animadverſionibus incumbentem, à Theologicis dogmatibus deſciviſſe. Quanquam enim indolem in pleriſque agnoverim ad bonum, ſuâ veluti ſponte, proclivem; non inficior tamen, omnium hominum originali labe vitiatam eſſe naturam, quâ ad unum omnes concupiſcentiæ pondere inclinantur ad malum. At illud nobis propoſitum fuit obſervationibus hiſce illuſtrandum, bonam indolem faciliùs civili, & Chriſtianâ inſtitutione adversùs concupiſcentiæ vim inſtrui, & firmari, ac præſidio Supernæ Gratiæ de vitiis triumphare, quàm quibus fluidorum, ſolidorumque intemperies obtigit, quorum animus operoſiori cultu ſubigendus eſt, ut probitatis fructus edere poſſit.

Qui-

Quibus linearum ſignis, Vir Humaniſſime, tibi frons, & manus inſcriptæ ſint, locorum diſtantia vetat, quominùs inſpiciam. At firmius mihi oboritur ab effectu de causâ documentum in litteris tuis, quas crebras, eaſque jucundiſſimas accipio, in quibus cultiſſimi animi, ingeniique tui certos characteres cùm intueor, ſublimem mentis aciem, eruditionis copiam, & inflammatum, ſincerumque detegendæ veritatis ſtudium admiror, & amplector; ſimul etiam mirifico ſtyli, verborumque nitore, & amoris in me tui præclaris ſignificationibus maximè reficior. Quod ſupereſt, humanitatis tuæ argumentum ſingulare præbueris, ſi candidè ſententiam de qualicunque hac Diſſertatiunculâ prompſeris, & expoſueris; nam probanda eruditiſſimo cuique cenſuero, quæ tibi probata fuerint, nec ullius emendatione caſtiganda, quæ acri judicio tuo caſtigata fuerint, & emendata. Vale, & Rei Medicæ incremento, ac Civium tuorum valetudini te incolumem ſerva. *D. Fantoni laudes.*

*Datum Romæ Idibus Novembris MDCCX.*

JO: MA-



# JO: MARIÆ LANCISII

Cubicularii intimi, & Archiatri

PONTIFICII

# DISSERTATIO ALTERA

## De Sede Cogitantis Animæ

AD

*Clariſſimum, Doctiſſimumque Virum*

D. JOANNEM FANTONUM

*Medicinæ, & Anatomes Profeſſorem Celeberrimum.*

*Clariſſimo, Doctiſſimoque Viro*

# D. JO: FANTONO

MEDICINÆ, ET ANATOMES
Profeſſori Celeberrimo

## *Jo: Maria Lanciſius S. P. D.*

EXimium illud Mathematicorum lumen Archimedes facile ſibi futurum, ajebat, ut totam terræ molem loco moveret, ſi, ubi pedem extra terram figeret, nanciſceretur. *Da mihi locum, ubi conſiſtam, ac terram movebo*. Hoc ipſum, Clariſſime Fantone, uſurpare nobis convenit, rem longè difficillimam, te flagitante, aggredientibus. Enimverò Cogitantis Animæ vim, & facultatem explicare cupienti opus eſſet extra ipſam animam alicubi conſiſtere, unde illam conſpicere, atque intueri liceret: quemadmodum ductâ ab oculo ſimilitudine divinitùs Plato diſſeruit in Alcibiade (*a*): *Oculus*, inquiens, *ſeipſum ſi videre volet, in oculum intueri debet; proinde etiam anima, ſi ſe ipſam noſcere volet, in animam intueatur oportet*. Quanquam verò Plato animam in ſe ipſam viſum intendere poſſe, crediderit; hoc tamen non de illâ, quam nos quærimus, ſcientiâ, quæ, rerum ideas, & cauſas perſequens, Philoſophorum ſtudiis expetenda eſt, ſed de conſcientiâ, quam vocant, quæ potiùs ef-

(a) *P. pag.* 350

ſecta percipit, & non quid, ſed, an ſit cogitatio, experitur. Nobis verò Philoſophiam naviter, quantùm valemus, profeſſis, ſatis eſſe non debet, quòd interno ſenſu (ignaris etiam, & vulgaribus hominibus notiſſimo) cogitantis animæ motus intelligamus; ſed enitendum, quoad ejus fieri poteſt, ut ſupra vulgi captum de humanâ cogitatione aliquid deprehendamus, & efferamus. Et quoniam in ipſam rationalem potentiam, quâ brutis eminemus, & ad cœleſtes mentes proximè accedimus, viſum intendere prohibemur, locum ſaltèm, & officinam perceptionum philoſophicâ diligentiâ, anatome duce, perſcrutemur; quod ſanè Plato ibidem inquirendum monuerat: *in illum maximè animæ locum intueri oportet, in quo virtus animæ, ac ſapientia ipſa ineſt.*

Age igitur, mi Fantone, ſedem hanc, tantopere à Medicis, & Phyſicis conquiſitam, perſequamur. Non te latet, celeberrimum (*b*) Carteſium probabili admodùm conjecturâ in eâ cerebri parte perceptionum, cogitationumque domicilium putaſſe conſtituendum, quæ unica eſſet, & in quam gemina externorum ſenſuum organa concurrerent, eâque ratione in glandulam pinealem, quæ inter geminas unica ipſi occurrit, conſenſiſſe. Neque à vero ille abluſit de unicâ, & in medio poſitâ parte conſtituendâ; cùm non poſſit anima librare, & maturare judicia, tum deinde huc, vel illuc ſpiritus, determinando, dirigere, niſi cerebri partem illam inſideat, quæ ſit veluti in lance Hypomochlion. Sed anatomicis obſervationibus deſtitutus Vir alioquin Egregius non vidit, alium eſſe in cerebro locum, in

(b) *Multis locis, ſed potiſſimùm de Paſſion. part.* 1. *art.* 32. *& Epiſt. part.* 2. *Epiſt.* 36. *&* 50.

quo

quo conditiones expoſitæ, luculentiùs, quàm in ſuâ conariâ glandulâ, conveniunt: tametſi ejus glandulæ uſum ad rem, de quâ diſſerimus, non omnem ablegemus.

Pars, quæ in cerebro medium locum, non gemina obtinet, præter conoidem eſt corpus calloſum cum fornice, ſeptoque lucido: nam medullari indole donatum ſedem, & quidem non anguſtam habet, inter dexterum, & ſiniſtrum cerebri hemiſphærium, atque in ſpinalem medullam, quæ intrà cranium locatur, diffunditur, & propagatur. Et quanquam aliæ etiam ſint partes, quæ alicubi per medium cerebrum excurrunt, nimirùm adhæſiones protuberantiarum natiformium, ac teſtiformium, nec non centrum proceſſus annularis, ac potiſſimùm quidam funiculus medullaris, qui ſupra os ſphenoides tranſverſim ſub nervorum opticorum decuſſi, baſim utriuſque cerebri hemiſphærii colligat, atque conjungit; nihilo tamen minùs hujuſmodi intrà cerebrum particulæ, præterquàmquòd ſunt nimiùm exiguæ, modò ſecundum lineam centralem, ut oportet, accipiantur; deſtituuntur eâ concinnâ ſtructurâ, quâ mihi opus eſſe videtur, ut anima in iiſdem quidpiam poſſit, deliberando, moliri.

Cùm igitur de calloſo primùm corpore, mox de glandulâ pineali dicturi ſimus, animadvertimus initio, quòd, tametſi corpus calloſum, fornix, ſeptumque lucidum diſtinctis vocibus apud Priſcos indicentur; ſunt tamen una, eademque medullaris, ac medium tenens inter hemiſphæria cerebri ſubſtantia, quæ loco duntaxat, & figurâ invicem diſcriminatur. Etenim pro calloſo corpore intelligitur medullare planum, albæ in-

ſtar

ſtar tæniæ, latitudinis ferè tranſverſi ſeſquidigiti, quod ſuperiori parte ſub ſagittali ſuturâ penè horizontaliter ducitur; anteriùs quidem anguſtius, poſteriùs verò latius, quod ſanè ſub fornicis, crurumque nomine in ellipticam figuram declinat, eâque ratione majora cerebri hemiſphæria unit, atque connectit. Septum verò lucidum nihil eſt aliud, quàm interna ejuſdem calloſi corporis, fornicisque productio in mediâ pariter medullari cerebri parte locata, quæ verticaliter à ſuperiori ſegmento calloſi corporis ducitur inferiùs, & tanquam ſepimentum, ventriculorum inter ſe cavitates ſeparat, atque ſejungit. Conjunctim itaque de omnibus jis medullaribus partibus, quæ cerebri medium tenent, ſermonem habebimus.

Naturæ igitur volumen potiùs, quàm opiniones hominum, verſantes, inquiramus in originem calloſi corporis. Porrò ad illius productionem eæ potiſſimùm medullares fibræ concurrunt, quæ procedunt à duobus ſegmentis corticum ſuperiorum, & anteriorum cerebri hemiſphæriorum; hæc enim poſita ad contactum falcis meſſoriæ, deſcendunt, atque ità ſupra corpus calloſum intrò flectuntur, ut, oculo judice, non ad alium uſum facta videantur, niſi, ut ſuis corticalibus glandulis ſecernant liquidum, ſuiſque ductibus ſecretoriis ſtamina præparent ad conſtruendam calloſi corporis molem, eamque ſpiritu perluendam, replendamque.

Quod ſanè ut liberè cerni poſſit, elevare oportet duram matrem ab hemiſphæriis, unàque vindicare intermedium ſpatium à falce meſſoriâ, atque ab ejuſdem extremis, quà anteriùs, quà poſteriùs, tendinibus: poſtremò calloſum corpus

ſedu-

ſedulò liberare à retiformi vaſorum contextu, quo cum tenui meninge ad intima fulcitur, fovéturque. Tum ſecentur utraque per longum perpendiculariter ſegmenta corticis, donec in conſpectum veniat ipſorum medulla, quæ tota in corpus calloſum abſumitur. Hoc ipſum ſæpè tentavimus in equino cerebro, & rem profectò longè mirabiliorem, quàm apud homines, cernere licuit; procedit namque in equis ejuſmodi medulla inter duos veluti parietes corticalis ſubſtantiæ cerebri, quouſque faceſſat in calloſum corpus, in quod aliæ etiam deſinunt, atque concurrunt medullares fibræ ex proximioribus fornicibus anteriorum ventriculorum, qui thalami etiam nervorum opticorum, & ſtriata corpora appellantur. Hoc evidentiſſimè conſpicitur, ſi lamina utrinque exili cultro auferatur horizontaliter à corpore calloſo: ſtatim namque ſe offerunt innumeræ fibræ filorum inſtar alborum, quæ adglutinatæ, ac parallelæ feruntur ad fornices ventriculorum. Unde evidens fit, per tranſverſales calloſi corporis fibras utraque cerebri hemiſphæria invicem connecti, continuaque fieri: &, quod maximè ad rem noſtram conducit, medio corpore calloſo radices ſpinalis medullæ, quæ à cerebro proficiſcuntur, uniri, atque in perpetuo commercio ſervari.

Ut autem tota quanta eſt calloſi corporis ſubſtantia, præſertim illa, quæ ſupernam occupat ſuperficiem, oculis ſubjiciatur, ea conſpici debet integra, ſcilicet amotâ duntaxat piâ matre, & poſtquàm duo majora, quæ ad latera ſupereminent, cerebri ſegmenta diſſecta fuerint, ſervato horizontali plano cum ipſo calloſo corpore; com-

pe-

periemus enim, coagmentari à nervis medullaribus in tranſverſum ductis, atque inter ſe ſimiliter parallelis, qui ſanè adeò perſpicuè in aliquibus cadaveribus apparent, ut referre videantur ſtamina craſſiora contexti ſerici (modò coloris ſit albicantis) quod vulgò dicitur *amuerre*, *tabino*, ò *cordellone*. Hunc autem fibrarum ductum in corpore calloſo ſubolfecerunt Clariſſimi Viri Th. Willis, & Marcellus Malpighius, quorum poſtremus in piſcium cerebro ità evidentes eſſe deſcribit, ut ſi adverſo lumine ſpectentur, eburneum pectinem repreſentent. Sed nos in hominibus ſummo ſtudio clarè perſpeximus.

Et quanquam hujuſmodi fibræ, quatenùs ſunt inter ſe parallelæ, & cum jiſdem utrinque terminis continuæ, videri poſſint omnes, ac ſingulæ ab uno principio in unum finem deſinere: veriſimilius tamen mihi eſt, alterno ductu, alteram à ſiniſtro hemiſphærio in dexterum ventriculi fornicem, alteram à dextero hemiſphærio in ſiniſtrum fornicem protendi. Nam cùm vaſa cerebri in ſuperficie, ſeu cortice decuſſentur, certumque pariter ſit, opticos nervos decuſſes pati; non abludit à vero, in calloſo etiam corpore hujuſmodi alternum fibrarum textum, recurſumque inveniri; quo ſcilicet liberum commercium (intercedente calloſo corpore) inter has medullares partes, in ſpinalem medullam deſituras, retineatur.

Deprehendimus quoque, tranſverſas has medullares calloſi corporis fibras, quæ ſtaminis locum tenent, non mediocrem validitatem accipere à ſubtegmine fibrarum medullarium, quæ per longum ab anteriori fornicis crure ad poſteriora ſub

cal-

calloſo vulgari corpore ità exporriguntur, ut eo loco fibræ variare inclinationes videantur. Enimverò candidè hìc loci noſtrorum ſenſuum imbecillitatem fateri cogimur, propter quam in adeò molli albarum fibrarum plexu intimam illarum ſtructuram perſequi prohibemur. Unum tamen, quod hactenus vel omninò neglectum, vel non ſatis obſervatum fuit, nos in ſuperiori ejuſdem calloſi corporis plano, ſeu ſuperficie conſpeximus, videlicet fibras omnes medullares tranſverſim ductas ſecari ad angulos rectos à duobus inæqualiter teretibus nervis ſimiliter medullaribus, qui abſque durâ matre, ſed ſolâ arachnoideâ tunicâ ad mutuum ferè contactum per ejuſdem calloſi corporis medium, ab anterioribus ad poſteriora procurrunt.

Diu hoc loco anxios nos dubitatio detinuit, an ſcilicet duo alii medullares nervi per longum pariter à ſyncipite versùs occiput ſupra idem corpus calloſum ducerentur, cùm quidam laterales, ſimulque longitudinales quaſi funiculi in confinio medullaris, & corticalis ibidem cerebri partium appareant. Sed tandem repetitis diſſectionibus probabilius nobis viſum eſt, illos non veros nervos, ſed limbos eſſe paululùm ſupra medullare calloſi corporis planum elevatos: qui tamen limbi (cùm in omnibus indiſcriminatim cadaveribus reperiantur) certè non omninò inutiles, quanquam adhuc de vero uſu non conſtet, dicendi ſunt. Veniet fortè dies, quæ his etiam obſcuris rebus lucem affundet.

Nervi autem, quos excurrere diximus per medium calloſum corpus, poſtquàm recta per univerſum horizontale planum ferè ad mutuum contactum proceſſerint; mox paululùm abinvicem recedentes declinant, & flectuntur poſteriùs ſu-

pra fornicis crura ; quinimò licèt paulò poſt evaneſcere videantur , tamen reſurgunt , & ſupra eadem crura , quo loco invicem conveniunt , ac tertium ventriculum excitant , evidenter procedunt , tandemque penetrant , atque diſperduntur intrà thalamos nervorum opticorum , quâ ventriculos anteriores reſpiciunt . Ut autem excurſus medullarium horum nervorum per crura liberè cerni poſſit , neceſſe eſt abſcindere proceſſus illos cerebri , qui in nates , ac teſtes elongantur.

Parem tenent viam in anticâ calloſi corporis parte iidem nervi ; replicantur enim ſupra externam ejuſdem ſuperficiem , quæ anterius fornicis crus appellatur , ac ſub decuſſi nervorum opticorum curvantur extrorsùm juxta foramen infundibuli , indèque evaneſcere videntur , ubi medullaris cerebri ſubſtantia baſim conſtituit thalamorum , quæ ſunt principia ſpinalis medullæ . Intelligis itaque , & tuiſmet oculis perſpicere poteris , Clariſſime Fantone , mirabilem hanc medullarium nervorum ſupra calloſum corpus circumductionem , qui vel incipiant ab uno , vel ab alio extremorum , ſemper oriri , ac deſinere dicendi ſunt , & affinitatem , uſumque non ſupervacuum habere cum thalamis . Interea viſum penitùs effugit , an ab ejuſmodi longitudinalibus nervis fibrillæ aliquæ in ſingulos tranſverſales nervos calloſi corporis emittantur ; quod quidem affirmare rationabilius videtur , cùm longitudinales à tranſverſalibus citrà ſciſſionem amovere difficillimum ſit ; illud tantummodò per diductionem conſequi poſſumus , ut videamus eoſdem cum ſubjectis ſtaminibus aptè cohærere .

De fornice verò , ſeptoque lucido nihil habe-

mus

mus addendum jis, quæ Clariſſimus Malpighius demonſtravit, nempe illud conſtare medullaribus fibris variè implexis, contextiſque, ſed præſertim rectis ab anterioribus ad poſteriora propagatis, quæ quaſi ſubtegmen præbent tranſverſalibus, quibus ſuperior pars ejuſdem corporis coagmentatur, atque conſurgit. Huc uſque de corpore calloſo; nunc quæ à nobis in glandulâ pineali obſervata ſunt, referamus.

Primò hanc, etſi magnitudine utplurimùm variâ, ſemper tamen propriæ ſedi hærentem, cùm in homine, tum cæteris omnibus in animalibus deprehendimus; unde clara ejuſdem ratio neceſſitatis deducitur. Nam qui aliquando planè defuiſſe ſcripſerunt, certè præ ſumma, quæ interdum occurrit, exiguitate, aut illam ſecantes abraſerunt, aut negligentes prætererunt.

Secundò attentè obſervavimus, conoidem piâ matre adeò ſpiſſis, copioſiſque ſanguineis, lymphaticiſque vaſis, nec non aliquot nerveis fibrillis refertam eſſe, ut, ſi eam diligenter hac tunicâ ſpoliaveris, tertiam ferè molis partem te ab illâ detraxiſſe, compereris. Neque fallaciam oculorum ſuſpicaberis, quòd vidiſſe putemus nerveas quoque fibrillas per tenuem pinealis glandulæ meningem diſpergi. Tu quippe, quemadmodùm non ignoraveris, ſanguinea vaſa, vix cranium ingreſſa, variis nervis aſſociari; ita dubitare non debebis, quin, quò ipſa ſanguifera intrà cerebrum producuntur, nerveos pariter villos ſecum deferant, atque inſinuent.

Minimè verò prætereundum eſt, quòd meninges nervorum ſurculos hìc illic, ſeorſum à ſanguiferis, accipiunt; nam id perſpicuè ſpectamus

in cerebello, cujus tenuis meninx nervulos utrinque ab internis petroſorum oſſium cavitatibus, atque ex nervis auditoriis recurrentes, ad pulcherrimos uſus, mutuatur, quorum illud poſtremum non exiſtimo, ut in magnis aeris tremoribus, qui per aurium anfractus ſub ſpecie ſoni improvisò admittuntur, ſubita quoque ſequatur ſpirituum expreſſio ex cerebelli cortice, tum quaquaverſum in artus per medullam, tum in præcordia per patheticos, cardiacoſque nervos; quamobrem animal, ſomno etiamſi oppreſſum, ſubito terrore expergiſcatur, atque admoneatur non modò per nervos auditorios; verùm etiam per hoſce recurrentes: unde novis explicatis viribus armetur ad propulſandum quidquid fortè noxii, atque hoſtilis offenderit inopinatò.

Tertiò animadvertimus, conariam glandulam in ſuperficie ſubrubram eſſe, ac mirum in modum ſanguineis punctis variegari, ſuoſque minimos glandulares utriculos microſcopio tentatam exhibere, qui non lympham duntaxat, ſed etiam liquidum nervorum ſeparant, ut peculiarem puſilli cerebelli corticem conſtituere videantur. Nam, ſi per longum, aut tranſverſim conariam ſecueris, eam minimè candicare, quemadmodum glandulæ conglobatæ, ſed remiſsè rubere, obſervabis. Inſuper animadvertes, ab ipſius baſi utrinque egredi duos nervos ſatis inſignes, quos nonnulli proceſſus medullares appellarunt; hos verò, ſi tranſverſim juxta glandulæ baſim incideris, pulchrum tibi ſpectaculum exhibebunt; videbis enim duos quaſi ocellos, circumducto ſubrubro cortice, micare candicantes. Iſtorum autem proceſſuum principium intrà conoidem per ramuſculos

los diviſum nobis inquirentibus aliquandò ſe ſe obtulit non abſimile ramificationi medullæ intrà cerebellum: quo fit, ut non iniuriâ pinealem glandulam cerebellum ipſius cerebri appellare poſſimus.

Poſtremò notavimus, hujuſmodi nervoſos proceſſus è pineali glandulâ egredientes ſupra thalamos opticorum obliquè, ſummâque cum adhæſione per ea maximè loca divaricari, quæ in thalamis extrema ſunt corticalis, & medullaris partium, quibus jidem componuntur; ſcilicet diviſio illa ab hiſce proceſſibus definitur, qui medium candicantis, & cineritiæ ſubſtantiæ retinent. Ubi deinde intrà thalamorum corpora penetrant, omnem oculorum aciem, microſcopio etiam armatam, effugiunt.

Eſt autem & illud animadverſione dignum, quòd cùm in reliquis cerebri partibus magna ſit inter diverſos homines ſimilitudo: contra in corpore calloſo, & glandulâ pineali magna diſſimilitudo plerunque deprehendatur. Nam in aliquibus textura calloſi corporis eſt adeò compreſſa, ac detrita, ut nullæ ſtaminis fibræ diſtinctè obſerventur; in aliis nervi longitudinales ferè inconſpicui; in nonnullis elegantiſſimi, & ad oculum elevati; in multis inordinato itinere. Glandula pinealis nunc magna, nunc puſilla, immo paulò millii granum excedens; plerunque conica; aliquando ſphærica; minùs denique, aut magìs tactui renitens, ac rubens occurrit. Quæ quidem diſcrimina noſtram quandam conjecturam non levi indicio confirmarunt. Nimirùm ex hac partium diſſimilitudine, concurrente ſanguinis craſi, vel diſcraſiâ, ut plurimùm nativam hominum indo-

dolem exoriri quoad judicia, conſilia, deliberationes, & ratiocinia. Atque ex hac veriſimilitudine duximus, quod ad te aliàs à nobis perſcriptum eſt in Phyſiognomicâ Diſſertatione de cognatione inter frontalem muſculum (unde lineæ rugæque frontis efformantur) & meningis, ac potiſſimùm cerebri fibras, quibus animæ facultates exercentur. Itaque videmur fidem noſtram, tibi tunc obſtrictam, præſenti Diſputatione liberaſſe.

Id autem oppidò explanatiùs dignoſceretur, ſi priùs perſpectis viventium moribus, eorundem mortuorum diſſecarentur cadavera; fortaſſe enim in jis, qui validâ cogitandi facultate, aut ſummo vitio obnoxii fuere, harum conformitas, & congruentia partium detegeretur; quod ſanè ad Philoſophiam amplificandam magnoperè conferret: idque poſterorum quoque diligentiæ ſedulò commendamus.

Interea ſilentio hìc tranſire nolumus, quod die XXIV. Martii currentis anni nobis accidit in diſſectione cerebri cujuſdam, qui, cùm verſabatur inter vivos, balbutiens erat, & fatuus: obiit in Noſocomio Sancti Spiritus, & ſectionis ſocios habuimus ſtudioſiſſimos Juvenes D. D. Franciſcum Soldatum, & Jo: Antonium Vulpium Medicinæ Doctores. Huic nondum trigeſimum ſextum annum excedenti univerſa cerebri ſubſtantia ſolitò compactior, atque albidior apparuit, ut coactum lac, quod vulgò *ricotta* dicitur, perbellè referret. Vaſa enim ſanguinea non admodum profundè per corticem penetrabant, neque à ſanguine, ſpirituque perlui ſatis videbantur. Corpus calloſum ſimiliter duriuſculum, & in eodem longitudinales ner-

nervi patuli quidem, ſed non quâ ſolent ratione inter ſe paralleli procedebant: tranſverſales verò planè inviſibiles: denique glandulam pinealem adeò exilem offendimus, ut cannabinum ſemen vix æquaret. Cæterùm intendant alii poſthac animum, videantque, an invenire præterea poſſint, quibus res in obſcuro adhuc poſita in lucem proferatur: nos enim contenti ſumus detexiſſe aliquid, ut alios ad quærendum excitaremus. Sed omiſſis obſervationibus ad ea tranſeamus, quæ earundem utilitatem aliquam ſubindicare poſſunt.

Ex iis, quæ hucuſque in corpore calloſo à nobis obſervata ſunt, hoc eſt, in ipſo naturæ libro perlecta; planum fit eam partem innumerabilium nervorum contextu formatam, & unicam eſſe, & in medio ſitam; unde dici poſſit veluti commune quoddam ſenſationum emporium, quò externæ nervorum impreſſiones appellunt. Non eſt tamen, quòd hanc officinam, deſtinatam ſolummodò recipiendis objectorum motibus exiſtimemus; ſed etiam in eâ ſedem illam imaginantis, deliberantis, & decernentis animæ collocemus. Neque enim alibi faciliùs mens judicare de externis poteſt, quàm quò externa conveniunt; neque aliundè ſpirituum iter extrorsùm flectere, ac dirigere, quàm quò eorundem ſpirituum curſus introrsùm confluxit.

Non me latet, plurima eſſe cogitationum genera, quæ nullum cum externis ſenſibus commercium habent, ſed immediatè à rationali animâ proficiſcuntur; cujuſmodi exiſtunt ideæ de Angelis, de Deo, deque noſtrâmet cogitatione, in quas ſecretâ mente incumbimus; itemque veritates omnes à materiâ abſtractæ, ſcilicet quæ à

Geo-

Geometriâ, atque ab Algebrâ, mediâ demonſtratione, petuntur. Verùm de jis duntaxat hìc conſilium eſt agere, quæ à ſenſibus hauſta per commune ſenſorium trajiciuntur, & partim percipimus ob ſuavem contactum, ſeu propter utilitatem, quam *proportionem*, *conſonantiam*, *& convenientiam in bono* aptè dixit Sanctus (*c*) Thomas; partim etiam incommodo, ac dolore perpetimur. Unde magnus (*d*) Hippocrates ſcriptum nobis reliquit, ſenſum, qui ſæpè mala perpeſſus eſt, eorum, quibus, quando, qualiter læſus ſit, eſſe delatorem ad ipſam cogitationem. Utroque verò modo, quæ per ſenſus accipimus, conſuetudine diſcernimus, atque in memoriæ Sede locamus; mox autem pro datâ occaſione variè permiſcemus, atque, ut ita dicam, cogitando excoquimus. *Ratiocinatio* namque juxta (*e*) Hippocratis ſententiam, *memoria quædam eſt*, *quæ componit ea*, *quæ per ſenſus ſunt percepta*. Hæc tandem, quæ in ipsâ imaginatione matureſcunt, rursùs ad externa ſenſuum organa, vociſque præſertim, aut manuum inſtrumenta, novis aptatis motionum ideis, arbitrio noſtro moderamus. Porrò ejuſmodi animæ facultas, quam Græci phantaſiam, nos verò imaginationem nuncupamus, proculdubiò effingendis idolis intenta, eo cerebri loco elaborare debet, qui ſit unicus; neque enim unius rei plures ſimul imagines efformamus, quod certè contingere deberet, ſi in geminâ parte imaginatio reſideret. Quamobrem appoſitè illam reponimus in corpore calloſo, quod medullare, atque unicum exiſtens, nervorum multitudine, ac villorum plexu planè mirabili, ad infinitam propemodum motionum, imaginumque varietatem

(c) *p.2. quæſt. 26. art. 1. in corpor.*

(d) *lib. præcept. n. 1.*

(e) *loc. cit.*

tem ſuſtinendam inſtructiſſimum eſt:

Qui verò gemini nervorum proceſſus ex glandulâ pineali ad thalamos nervorum opticorum, ſeu ad principium ſpinalis medullæ pertingunt, ſententiâ noſtrâ addicti eſſe videntur, ut quod in corpore calloſo maturatum jam, perfectumque eſt, ac pro animæ arbitrio, judicioque ad motus membrorum, organorumque dirigitur, atque determinatur, ipſo in itinere momentum pulſionis, ac novam, ubi, & quomodo opus ſit, volatilitatis energiam nanciſcatur. Tanta certè eſt thalamorum moles, ut Anatomicis etiam aliis viſi fuerint, non ſolis oculorum uſibus deſervire, ſed plerorunque omnium, qui à cerebro proficiſcuntur, nervorum eſſe principia; quò magis in eâ conjecturâ confirmamur, tam nervos, qui ex corpore calloſo, quàm qui à glandulâ pineali oboriuntur, ad univerſi penè corporis miniſteria eſſe comparatos.

Et quoniam neceſſe erat, ut alia quoque inſtrumenta ipſi animæ ſuppeterent, quibus juxta varia pathemata, motuumque diſcrimina, major, vel minor ſpirituum copia à glandulis cerebri in calloſum corpus præſtò eſſet; propterea factum eſt, ut nuſquam dura mater aptiùs ad conſtringendum, premendumque cerebri corticem compoſita ſit, quàm ubi calloſo corpori ſupereminet: etenim falx meſſoria, quæ omnium conſenſu eſt maximus tendo duræ meningis, cùm anteriùs alligetur fixo termino oſſis criſtati, ducaturque per media hemiſphæria cerebri uſque ad mobile terminum plani horizontalis ejuſdem duræ matris, poſteriùs cerebello ſuper extenſæ; cùmque eadem dura mater (ut clarè demonſtrat

Amicus noſter D. Pacchionus) duobus quoque tendinibus tranſverſim ad tempora firmetur, facilè eſt concipere, ſupernum præcipuè cerebri corticem, quotieſcunque hujuſmodi tendines vigorem acquirunt, coarctari, atque conſtringi. Nam dura mater iis potiſſimùm locis, quemadmodum cum arteriis naturali alterno dilatationis, & reſtrictionis motu agitatur; ita interdum per arbitrium, ubi neceſſitas poſtulaverit (quod Clariſſimum Mayowium non latuit) violenter, & pertinaciter tenditur, non abſimili ritu, quo ipſum diaphragma, volente animâ, majori conatu hypochondria inferiùs urgere ſolet. Cùm igitur falx meſſoria, ſimulque tendines ad tempora alligati in ſuſceptâ violentâ tenſione perſiſtunt, neceſſum eſt, ut mobilia ſegmenta duræ matris ad immobilia ferantur, nimirùm ut poſteriora ad anteriora, & media ad lateralia accedant; proindeque ut ſuperna cerebri hemiſphæria, quæ veluti intrà vaginas duræ matris comprehenduntur, utrinque manibus quaſi preſſa, fluidum tunc uberiùs ſecretum in illas medullares fibras urgeant, quæ indè originem ſortiuntur: eæ autem ſunt nerveæ fiſtulæ, quæ calloſum corpus contexunt, ut ſuperiùs oſtenſum eſt. Quæ verò copia ſpirituum major, aut minor devehitur in calloſum corpus, ab ejuſdem poſteà longitudinalibus nervis, nec non à proceſſibus glandulæ pinealis, aliiſque adhuc ignotis machinulis in hos, vel illos nervos, ad has, illaſve actiones determinatur. Hujus certè operis exemplum in muſico inſtrumento, quod organum appellamus, adumbratum eſt, in quo aer follibus exceptus alternis eorundem preſſionibus protruditur, qui dein-

deinde per tubum, omnibus fiſtulis communem, delatus, ideò non omnes, ſed modò has, modò illas ſubire ſolet, quia non ſimul omnium, ſed modò harum, modò illarum fiſtularum valvulæ pulſantis arbitrio recluduntur, cujus vices in homine tenet anima, quæ ope nervulorum calloſi corporis impedimenta plùs minùs amovere, impetum plùs minùs adjuvare ſolet.

Ex oppoſitâ idcircò ratione fit, ut nervi, qui ſupra calloſum corpus feruntur, durâ matre minimè veſtiantur. Scilicet oportebat, ut quæ ad has partes ſpirituum copia ex cerebri cortice ubertim confluit, blando, mitique motu temperaretur ad curſum. Nam functiones ibidem ab animâ perficiendæ ſunt leniſſimæ, quietiſſimæque, quas motus violentior interturbaret, ut clariùs infra explanabimus. Et quoniam pari ratione nervi à pineali glandulâ procedentes temperatè, ac ſuaviter eorundem ſpirituum motum ad thalamorum uſum regere, ac diſpenſare debent; propterea hæc glandula deſtituitur durâ matre; ſed illius cortex tenui duntaxat membranâ conveſtita, tunc ſolummodò preſſionem ſolito majorem experitur, cùm in magnis, violentiſque falcis meſſoriæ contractionibus poſteriores cerebri partes, inter quas pinealis glandula collocatur, versùs anteriores adducuntur.

Sed ut ad animæ ſedem, unde digreſſi fuimus, revertamur, evidenter confirmatur, quòd inſtrumenta noſtræ cogitationis poſita ſint in anteriori, mediâque cerebri parte, ubi corpus præcipuè calloſum locatum eſt, quia nos ipſi ſentimus, dum præſertim inter tenebras alicui meditationi diu animum intendimus, moveri quidpiam interiùs

ſub fronte , & ſyncipite , illudque in ſecretiori parte , quam ſenſus noſtri minimè attingunt , circumagi : propterea cùm faciles ſumus ad excogitandum, tunc ſanè quandam libertatem viarum , ſeu expeditum ſanguinis , ſpirituumque motum ſub anteriori calvariæ ſegmento, & circa corpus calloſum experimur : contra verò , cùm aut ſpontaneâ imbecillitate ad inchoandum mentis opus , aut illatâ ex nimio ſtudio ad progrediendum laſſitudine tenemur , iiſdem in locis gravitatem , calorem, ac veluti oppilationem ſub obtuſionis ſenſu percipimus.

Neque certè aliunde oritur , quòd ad ſapiendum, vel deſipiendum bona, vel mala ſanguinis conſtitutio tantoperè conducat , quemadmodum advertit ( *f* ) Hippocrates : *opinor*, inquiens , *inter omnia, quæ in corpore ſunt , nihil magis ad prudentiam conferre , quàm ſanguinem , cujus ex conſtanti habitu ( modò cætera concurrant ) conſiſtit in nobis prudentia : & cujus ex perturbatione, prudentia itidem perturbatur*. Nam ſanguifera vaſa piam matrem , & arachnoideum velamen comitantur non ſolùm in cerebri cortice , quem vivido fluido penitiùs perluunt ; ſed ſuper calloſum etiam corpus, & ad latera ſepti lucidi , atque intrà ventriculorum fornices, nec non circa pinealem glandulam, quæ quidem loca tenuiſſimis fluidi guttulis partim aſperguntur, partim volatili halitu benigniter foventur . Quoties igitur ſanguis alterutro vitio , ſcilicet vel nimio lentore , vel urgentium, atque irritantium copiâ particularum laboraverit, neceſſe erit, ut humana etiam mens huic vel illi ægritudini evadat obnoxia. Si enim cogitationum inſtrumenta viſcidulo ſucco irretiantur, tunc,

(f) *Lib. de Flat. n.* 20.

tunc, volente quantumvis animâ, moveri illa non poterunt; unde animalium facultatum languor, ſtupor, ac deſipientia procedet. E contrario ſi eadem organa præfervidi copiâ ſanguinis urgeantur, agitenturque, injuſſa quoque movebuntur; immò juxta alias cruoris diſcraſias, aliis etiam, iiſque *peregrinis opinionibus* (ut ejuſdem divini Senis phraſi utamur) *mens occupabitur*. Quod ſemper magis, mi Fantone, ad temperatè vivendum nos adhortatur; cùm, ut mens ſapiat in corpore ſano, moderatâ, ſobriâque quiete ſanguinis, non autem nimio, ac veluti temulento intrà cerebrum motu egeamus.

Hæc ſunt, Fantone dulciſſime, & in rebus anatomicis oculatiſſime, quæ de ſentientis, percipientis, ac deliberantis animæ inſtrumentis, officinâ, ſede, ac domicilio, hoc eſt de ſummis Phyſiologiæ ambagibus, inter altiſſimas rerum abſtruſarum tenebras conjicere potuimus; quâ in diſputatione moroſus certè erit, qui plus à nobis expetere contendat, quàm ingenioli noſtri conatus præſtare valeant. Neque enim de propriâ facultate tam temerè confidimus, ut ingenuam (g) Platonis confeſſionem uſurpare vereamur, ſcribentis in hanc ſententiam, quam ad hujus epiſtolæ coronidem appoſitiſſimam reputamus. „ Proinde de animâ quantum ejus mortale, & quantum divinum ſit, & quatenus, & cum quibus, & quare ſeorſùm habitationem accipit; hæc reverà velut dictum eſt, ſe habere, tunc ſolùm, ubi Deus ita conſenſerit, affirmabimus. „ Vale.

(g) *In Timæo pag. 752.*

*Datum Romæ IV. Idus Aprilis MDCCXII.*